5. f. 248

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOSOPHICAE

In IIII. tributæ Tomos.

MUndi huius dona ... meipſum captare moliebantur .., niſi me pectoris dolor ... in Philoſophiæ gremium confugere coegiſſet. Ipſa me nunc in otio ... nutrit, ac fovet: ipſa me penitus a ſuperſtitione ... liberavit. Ipſa enim docet, & vere docet, nihil omnino colendum eſſe, totumque contemni oportere, quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid ullus ſenſus attingit. Ipſa veriſſimum, & ſecretiſſimum DEUM perſpicue ſe demonſtraturam promittit, & jam jamque quaſi per lucidas nubes oſtentare dignatur .... Philoſophia eſt enim, a cuius uberibus ſe nulla ætas quæritur excludi; ad quam avidius retinendam, & hauriendam, quo te incitarem, quamvis tuam ſitim bene noverim, guſtum tamen mittere volui, quem tibi ſuaviſſimum, & , ut ita dicam, inductorium fore, peto, ne fruſtra ſperaverim.

S. AUGUSTINUS cont. Acad. lib. I. cap. 1.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICAE

In usum Scholarum

Ex probatis Veterum, Recentiorumque sententiis

ADORNATAE

A GASPARO SAGNER

SOC. JESU

Philos. Profess. Reg. Publ. Ord., & Examinatore in Universitate Pragensi.

TOMUS I.

COMPLECTENS LOGICAM.

EDITIO PRIMA ITALICA

Mendis innumeris expurgata, plurimis Additamentis illustrata, opportunisque Indicibus aucta.

PLACENTIAE

CIↃIↃCCLXVII.

Impensis Nicolai Orcesi Bibliopolæ ad S. Georgium in via vulgo *de' Calzolai*.

HABITIS SUPERIORUM FACULTATIBUS.

Dialectica continet omnem, & percipiendi quid in quaque re ſit, ſcientiam; & judicandi, quale quidque ſit; & ratione, ac via diſputandi.

Cic. Fin. II. c. 6.

NICOLAUS ORCESIUS
BIBLIOPOLA
Q. L. B. V.

QUum optime noſtris hiſce temporibus factum ſit, ut in celebrioribus ſtudiorum Academiis Auctor aliquis prælegatur, Litterariæ Reipublicæ me non modice conſulturum, ſi Auctorem quempiam Italiæ inferam, qui de Philoſophia ſit egregie meritus, ſum arbitratus. Quantum porro initi de prælegendo Libro conſilii ratio receptæ fere apud nos conſuetudini, qua quidquid tironibus mente retinendum, vel animo meditandum proponeretur, ſcriptis nonniſi ſchedis conſignabatur abs ſtudiorum Moderatoribus præferri mereatur, meum referre non eſt; præſertim cum eleganter ſatis, atque erudite id argumenti genus fuerit nuperrime pertractatum (*). Immenſum ſane, illumque improbum a Scholis recenti

(*) V. Breve diſſertazione, in cui ſuccintamente ſi dimoſtra eſſere aſſai più profittevole, che i Profeſſori delle belle Arti, e Scienze alla gioventù ſpieghino Libri impreſſi, che Trattati manoſcritti. In Firenze 1765. Appreſſo Andrea Bonducci. V. pure Mabilon de *Stud. Mon.*

hac methodo exulare laborem inficiabitur nemo: quem quidem ſi vel unice conferre cum iis placeat utilitatibus, quas a periti Moderatoris exaratis meditationibus jure merito exſpectes, hæ, permultæ ceteroquin, evaneſcant, fortaſſe oportet. In id igitur potius incumbam, ut, quid me ad hanc recudendam Sagnerii Philoſophiam impulerit, aperiam ingenue. Suppetere & Theologicarum Diſciplinarum ſtudioſis, & incontaminatis chriſtianæ Ethices amatoribus integros profecto, & Scholæ uſibus plurimum accomodatos Auctores noveram: quis enim vel eruditionem, vel perfectionem, vel ſacræ doctrinæ peritiam, vel methodum, vel, ſi lubeat, brevitatem perſpicuitati conjunctam in egregiis Cani, Herminierii, Berti, Alexandri, Contenſonii, Billuarti, Merbesii, Juveninii, Haberti, Chignolii, Bancelii, Cuniliati, Antoinii, Concinæ, Franzojæ, aliorumque hujuſmodi non ſane paucorum Operibus deſideret? In his itaque ſuperioribus pene dixerim ſcientiis quod formandis mentibus, perficiendiſque ſatis eſt, habemus. Contra vero, ſiquis Philoſophiam, a qua ceterorum ſtudiorum inſtitutio penitus pendet, verſandam fuerit aggreſſus, vel optimarum rerum prolixa nimis tractatione, ac mole opprimi, vel inutilium mixtione confuſa retrahi,

trahi, vel neceſſariarum cognitione carere, vel demonſtrativa illa methodo, quam menti unice formandæ aptam noverit, deſtitui ſe ſentiet. Quapropter merito noſtrates Scholæ tam grave incommodum queruntur: quod ego ut pro ea, qua agor, juvandi cupiditate removeam Italis prelis primum egregium hoc Sagnerianum Opus ſubjeci, quod immenſis propemodum ſcommatis, quibus Pragenſes duæ ſcatent editiones, diligentiſſime repurgatum, & quibuſdam apprime conſentaneis Additamentis auctum iccirco curavi, ut ne quid deeſſet, vel quo ſtudiorum Moderatores levare poſſem, vel quod tirones abs earum cognitionum conſecutione retardaret, quas ipſos maxime decere compertum ſit. Adnexa vero Additamenta eccleſiaſticam quandoque redolere eruditionem, quæ quidem a Philoſophico ſcopo aberrare videatur, miretur nemo; nam, præterquam quod id maxime conſonum nimio philoſophicarum demonſtrationum abuſui, quem ſæculo hoc plus æquo dolemus invaluiſſe, extirpando cenſendum eſt, cum Alumnorum Almi Alberoniani Collegii, Placentini ſoli decoris præcipui, unde & Additamenta eadem ortum habuere, Inſtitutiones hæ Philoſophicæ uſui ſint maxime deſtinatæ, non erat illud eruditionis genus adoleſcentibus

oc-

occultandus ad abdita Theologicorum Dogmatum myſteria ex inſtituto properantibus. Quod ſi ego nec ſumptibus indulſi, mihi ſane non exiguis, ut e voto cederet, quod ſuadentibus litteratis Viris libentiſſime ſuſcepi, nec Litterariæ Reipublicæ ſplendori ſatis gravi hoc molimine defui; reliquum eſt, ut grato animo primos induſtriæ meæ conatus ſuis unice utilitatibus ceſſuros docti Viri excipiant: ita enim & illorum majoribus commodis accuratius impoſterum proſpectum fuerit, & mihi animus ad ampliora in dies molienda alacrior acceſſerit.

AU-

AUCTORIS PRÆFATIO.

MAgnum apud plurimos Philoſophiæ nomen; quod tamen ipſa ſatis tuitura non eſt, niſi gemina cumprimis dote ſe ſe commendet, Certitudine, & Utilitate. Philoſophia, quæ errorum aut ferax, aut patiens ſit, quæ item parum compendii afferat, quis non contemnat potius, quam amet, colatque? Dote hac gemina Philoſophia ut exornaretur recens a quibuſdam ſtrenue deſudatum eſt, nec, quod plurimi jam agnoſcunt, infeliciter. Ad noſtras Inſtitutiones Philoſophicas quod attinet, honeſtiſſimum ducimus in iis pariter illud præcipue curare, ut Auditoribus noſtris, quibus quidem tantum non unice eas ſervire volumus, & certæ, & utiles ſint. Unde autem abſonum videri non debebit, eorum, qui cum egregia laude præceſſerunt, exemplis, veſtigiiſque inſiſtere, ac etiam opera uti. Uſi hi ſunt opera Veterum; neque enim ipſi id diſſimulant: nos tum iſtorum, tum illorum opera uſuri ſumus.

Par-

Partitio Inſtitutionum noſtrarum hæc futura eſt: ternis illæ abſolventur tractatibus, quorum primum *Logica*; alterum *Metaphyſica* complectens *Ontologiam*, *Coſmologiam*, *Pſychologiam*, & *Theologiam Naturalem*; tertium *Phyſica* ſibi vendicabit.

De Tractatu primo, ſeu Logica (de reliquis namque ſuo loco) hic iſtud adnotamus: quamplurimi eorum, qui recentius ad conſcribenda præcepta logica animum adjecerunt, id fere ſibi agendum putarunt, ut illa cum Veterum præceptis nil commune haberent. At Cel. Vvolfius luculenter oſtendit immerito ea penitus negligi; quippe quæ recte diſtincteque pertractata in ipſius Veritatis tam inventione, quam dijudicatione, ac communicatione uſum optimum præſtarent. Nos Vvolffio ſubſcribendum duximus, eumque adeo in pluribus ita ſecuti ſumus, ut tamen alios non præteriverimus.

DEUS Optimus Maximus quales demum cunque conatus noſtros ad gloriam ſuam cedere jubeat, faciatque, ut, quorum ii commodo ſervire debebunt, quammaxime ſervjiſſe ſubinde lætari poſſimus.

TO-

TOTIUS LOGICÆ PROSPECTUS.

Prooemium. §. 1. De Natura Philosophiæ Pag. 1.
§. 2. De partibus Philosophiæ. 6.
§. 3. De Methodo Philosophica, & Stylo. 8.
Appendix historica de hominum varia colendi Philosophiam ratione. 11.
Prolegomena Logicæ. 15.

LOGICÆ PARS PRIOR THEORETICA.

De naturali Animæ cogitandi modo.

Sectio I. *De Principiis modum naturalem cogitandi distincte explicandi.*

Cap. I. De Mentis Operationibus in genere. 18.
Cap. II. De Cogitationum objectis. 24.
Cap. III. De Cogitationum signis. 28.
Sect. II. De Notionibus, & Apprehensionibus in specie.
Cap. I. De Notionum, & Apprehensionum differentia. 34.
Cap. II. De Definitione. 42.
Cap. III. De Divisione. 48.
Sect. III. De Judiciis in specie, & Propositionibus.
Cap. I. De Judiciorum, & Propositionum differentiis. 51.
Cap. II. De variis Affectionibus Judiciorum, & Propositionum. 58.
Sect. IV. De Ratiocinio, seu Discursu.
Cap. I. De Syllogismo. 61.
Cap. II. De Figuris, ac Modis Syllogismorum. 67.

Cap. III. De Syllogiſmis Compoſitis, ac Crypticis. 72.
Cap. IV. De Ratiocinio Poliſyllogiſtico, Probatione, & Propoſitionibus probationem reſpuentibus. 79.

PARS POSTERIOR PRACTICA.

De Veritate dijudicanda, invenienda, ac cum aliis communicanda.

Sect. I. De Vero a Falſo, Certoque a non Certo diſcernendo.
Cap. I. De Veritate, & Falſitate, earumque Criterio. 83.
Cap. II. De Certo, Incerto, atque Probabili in genere. 101.
Cap. III. De Certitudine Judiciorum Intuitivorum in ſpecie. 116.
Cap. IV. De Scientia. 121.
Cap. V. De Fide. 128.
Cap. VI. De Opinione. 136.
Cap. VII. De Errore. 141.
Sectio II. De Inveniendo Vero.
Cap. I. De Vero inveniendo a Poſteriori. 155.
Cap. II. De Vero inveniendo a Priori. 161.
Sectio III. De Libris.
Cap. I. De Differentia Librorum, eorundemque Perfectione. 170.
Cap. II. De Lectione Librorum. 178.
Sect. IV. De Vero cum aliis communicando.
Cap. I. De modo alios docendi, & convincendi. 183.
Cap. II. De modo alios refutandi, & ſe defendendi. 190.
Cap. III. De modo diſputandi. 194.

PROOEMIUM DE PHILOSOPHIA IN GENERE.

§. I.

De Natura Philoſophiæ.

N. I.

PHILOSOPHIA, ſi vox ſpectetur, AMOREM SAPIENTIÆ notat. Vulgatiſſimum hoc quidem eſt, ac tantum non nemini ignotum. Non item a quolibet vera indoles, ejuſque cum cæteris rebus comparatæ diſcrimen clare agnoſcitur. Id vero dubio caret, Philoſophiam pro eo, ac meretur, nequaquam cultum iri, niſi genuina ejus natura probe intelligatur.

N. II. Notionem, quæ genuinam nobis Philoſophiæ indolem exprimat, adepturi, ad ſequentia cum Cl. Vvolffio, aliiſque, advertamus oportet: Multorum, quæ ſunt, vel fiunt, homines no-

titiam aut actu habent, aut certe habere possunt, quin tamen dispiciant, cur ea potius sint, vel fiant, quam non sint, vel non fiant. Ejusmodi nuda rei, vel facti notitia *Cognitio Historica* appellatur.

ANNOT. Cognitione historica novit quis e. g., Solem in calefaciendo nunc majores, nunc minores vires exercere, dum non intelligit, cur modo hoc, modo illud accidat.

N. III. Sumere tuto licet, quod quidem alibi demonstrabitur, ea, quæ sunt, vel fiunt, non destitui ratione sufficienti, cur potius sint, vel fiant, quam non; seu, cum aliquid est, vel fit, etiam præsto esse quidpiam, ex quo intelligi queat, cur sit, vel fiat. Cognitionem, qua ejus, quod est, vel fit, rationem sufficientem una perspicimus, *Cognitionem Philosophicam* salutamus.

AN. Qui novit, Solis radios, quo obliquius in Atmosphæram incidunt, eo majorem partem ab eadem reflecti, cognitione philosophica *novit, Solem apud nos magis calefacere æstate, quam hyeme; itemque semper, dum prope Meridianum, vel in ipso Meridiano hæret, quam cum Horizonti vicinus est.*

N. IV. Præter cognitionem historicam, & philosophicam apud homines etiam obtinere experimur cognitionem, quam *Mathematicam* vocant, estque illa, qua ejus, quod est, vel fit, *quantitas* cognoscitur.

AN. Qui e. g. novit quantum calorem Sol produxerit cum in Meridiano hæreret, & quantum, cum prope Horizontem existeret, cognitione mathematica *calorem novit.*

N. V. Attentionem adferenti obscurum non potest esse discrimen, quod inter cognitiones, de quibus adhuc, intercedit; aliud nempe prorsus, di-

diverſumque quid eſt, noſſe præciſe, quod aliquid ſit, vel fiat; aliud, cur idipſum potius ſit, quam non ſit; ac aliud denique, quantum ſit, quod eſſe, vel fieri cognoſcitur. Ut ut vero hæ cognitiones inter ſe ſe diverſæ ſint, COGNITIO tamen HISTORICA PHILOSOPHICÆ ET FUNDAMENTUM PRÆBET, ET PRINCIPIO ESSE POTEST: præbet cognitio hiſtorica philoſophicæ fundamentum, cum prius noſſe oporteat, quod res quædam ſit, vel fiat, quam cur ſit, vel fiat. Enimvero quæ eſſe, vel fieri cognitione hiſtorica tenemus, ea id eſſe, vel continere poſſunt, & ſolent, ex quibus intelligi poteſt, cur alia ſint, vel fiant: eatenus ergo cognitioni philoſophicæ principio erunt.

AN. Equidem experientia conſtat, aerem eſſe gravem, ſubjectaque corpora premere; exinde vero philoſophice *cognoſcimus aſſenſum, & ſuſpenſionem Mercurii in Barometro.*

N. VI. COGNITIO HISTORICA ETIAM COGNITIONEM PHILOSOPHICAM CONFIRMAT. MATHEMATICA VERO EJUS CERTITUDINI COMPLEMENTUM ADFERT. Forte quis pro ea, qua pollet ingenii vi, rem quamdam ex hac, non alia ratione eſſe, vel fieri concipit: cognitio ergo ejus hoc caſu audire philoſophica debebit. At enim certa erit, ſi, quod pro ratione ſufficiente agnitum eſt, re ipſa rationem ſufficientem eſſe, experientia innotuerit, quo proinde caſu cognitio hiſtorica philoſophicam confirmabit. Quod erat primum.

Si, quam experientia confirmante rei cujuſdam rationem ſufficientem novimus, oſtendere valeamus rei ipſi proportionatam eſſe (id quod per cognitionem mathematicam (N. IV.) præſtari poteſt), nullus porro dubitandi locus reliquus eſſe po-

poteſt : cognitio ergo mathematica philoſophicæ cognitionis certitudini complementum adfert. Quod erat alterum.

AN. Cur hanc, præcedentemque propoſitionem Clar. Vvolffium ſecuti, hic in medium adduxerimus, ratio deinceps ſatis patebit.

N. VII. Nunc ad explicandam ipſius Philoſophiæ naturam deſcendere licet. Quam adeo definimus, quod ſit *Habitus, ſeu facilitas eorum, quæ ſunt, vel fiunt, rationem ſufficientem perſpiciendi*: aut ſi brevitatis quis eſt amantior, quod ſit *Habitus cognitionis philoſophicæ* (1).

Demonſtrandum eſt unice, hanc Philoſophiæ notionem nihil contradictionis implicare, ſeu poſſibilem, adeoque realem eſſe ; quod quidem præſtitu facillimum : cum enim nihil contradictionis implicet cognitio philoſophica (N. III.), nec etiam habitus inde enaſcens quidpiam implicare poteſt. Porro ex notione iſthac Philoſophiæ cum quovis alio cognoſcendi habitu comparatæ diſcrimen nemo non clariſſime advertere poteſt : non ergo incongrue per eam Philoſophiæ natura exprimitur.

AN. Quæ de Conceptibus, quos alii ſibi de Philoſophia formarunt, memoratu digna occurrent, in Recitationibus afferentur.

N. VIII. QUI REI CUJUSDAM RATIONEM SUFFICIENTEM PERSPICIT, DE EO DICENDUM, QUOD REM ESSE, VEL FIERI SCIAT. Scire namque, ut infra docebitur, illud dicendi ſumus, quod demonſtrare, ſeu ex certis, ac immotis principiis pro-

(1) Definiri quoque ſolet Philoſophia: *Cognitio certa, & evidens rerum naturalium per cauſſas.*

probare valemus. Enimvero qui rei cujuſdam rationem ſufficientem perſpicit, certe intelligit, cur ea ſit, vel fiat (N. III.); demonſtrare ergo valet eam eſſe, vel fieri: de illo proinde dicendum, quod rem eſſe, vel fieri ſciat.

N. IX. Hinc deducitur: PHILOSOPHIAM RECTE SCIENTIAM DICI. Neque enim habitus cognitionis philoſophicæ, quo Philoſophiam exprimimus, ſine habitu demonſtrandi, quo Scientia indigitatur, per dicta N. VII., & N. VIII., concipi poteſt.

N. X. Qui Philoſophiam Scientiæ nomine compellare verentur, ii ſunt, qui, aut non advertunt ad id, quod nos tuto ſumi poſſe diximus, ea ſcilicet, quæ ſunt, vel fiunt, non deſtitui ratione ſufficiente cur ſint, vel fiant, cum quibus nunc quidem nihil negotii nobis volumus, aut obtendunt plurimorum, quæ ſunt, vel fiunt, ab intellectu humano rationem ſufficientem perſpici non poſſe; ex his autem ſciſcitamur, quid ſuo obtentu evictum cupiant: anne Philoſophiam non eſſe ſcientiam dicendam? At qua demum conſecutione id eruetur? Anne potius Philoſophiam perarctis fore apud homines limitibus conſtrictam? Id vero ultro damus. Quid porro? Uſus perquam exiguus Philoſophiæ apud homines futurus eſt. Hinc autem, ut uberiorem illa præſtet, dicimus, in ea admitti poſſe veritates ſaltem ratione probabili nixas, has tamen a veritatibus certis, ſeu dogmatis religioſe diſtinguendas eſſe: unde nihil dubitamus ſequentia porro ſtatuere, quæ quidem vel ex eo, quod Philoſophia recte ſcientia dicatur (N. IX.), ſponte ſua fluunt, vel ex illis, quæ N. V., & N. VI. ſtabi-

lita ſunt facillimo negotio deducuntur.

I. In Philoſophia omnimoda certitudinis cura adhibenda.

II. Principiis non utendum, niſi certis.

III. Quæ adeo ab experientia repetenda.

IV. Demonſtrata experimentis confirmanda, eorumque certitudo uſu cognitionis mathematicæ complenda.

§. II.

De Partibus Philoſophiæ.

N. XI.

CIrca quæ Philoſophia verſari poteſt, *Objecta* illius dicuntur: cum proinde Philoſophia ſit habitus eorum, quæ ſunt, vel fiunt rationem ſufficientem perſpiciendi, circa omnia, quæcunque ſunt, vel fiunt, quarum ratio ſufficiens perſpici poteſt, verſari *de ſe* poterit; atque adeo hæc omnia inter ejus objecta referenda (2).

N. XII.

---

(2) Ne Tyrones in iis hæreant, quæ apud Veteres ſcripta occurrent, hæc de objecto Philoſophiæ juverit addidiſſe. Objectum facultatis ſcientificæ vocatur a Scholaſticis *materia*, *circa quam* verſatur ſcientia. Objectum vero duplex eſt, *materiale* ſcilicet, atque *formale*: primum eſt ipſa res, circa quam verſatur quælibet facultas; alterum id eſt, quod ea in re facultas attingit. E. g. Materiale Medicinæ objectum eſt *Corpus humanum*, hujus *ſanabilitas* eſt objectum formale: ea enim de Corpore agit humano non ſub omni ratione, ſed ut eſt per artem ſanabile. Porro ex materiali, formalique objecto unicum fit, ac integrum objectum, quod *attributionis* vocatur, eo quod ad ipſum referantur omnia, de quibus agit ſcientia. E. g. *Corpus humanum ſanabile* Medicinæ eſt objectum attributionis; hujuſcemodi obje-

N. XII. Pro diverſitate objectorum diverſæ naſcuntur Philoſophiæ partes. Noſtra refert præcipua objecta hîc adferre, ex iiſque partes Philoſophiæ a nobis ſubinde pertractandas deſignare.

N. XIII. In objectis Philoſophiæ numeranda veniunt 1. ea, quorum ratio in DEO; 2. quorum ratio in anima; ac 3., quorum ratio in corporibus continetur (3). Unde naſcuntur *Theologia Naturalis*, *Pſychologia*, ac *Phyſica*.

N. XIV. Anima duplici facultate prædita eſt, *cognoſcitiva*, *& appetitiva*, in quarum cujuslibet uſu illa deficere poteſt. Hinc alia Philoſophiæ pars oritur tradens uſum facultatis cognoſcitivæ, quæ *Logica* appellatur; itemque alia, quæ uſum facultatis appetitivæ tradit, complectens *Ethicam*, quæ dirigit actiones liberas hominis in ſtatu naturali conſtituti; & *Politicam*, quæ hominis actiones dirigit, ut in Republica viventis.

AN. De Poſteriore pro more recepto ſilendum nobis erit (4).

N. XV. Sunt quædam, quæ omnibus entibus communia ſunt, generaleſque adeo entis affectiones audiunt; quæ ad has pertractandas Philoſophiæ pars naſcitur, *Ontologiæ* fert nomen.

N. XVI. Ex attenta contemplatione hujus Mundi exiſtentis, & ſpectabilis illuſtriores Philoſophi

---

objectum dicitur etiam ſcientiæ *ſubjectum*. Principia tandem, quibus objecti habetur cognitio, *Ratio*, *ſub quæ* dicuntur.

(3) Ea, quæ in anima, corporibuſque continetur ſufficiens ratio, non ultima eſt, ac univerſalis, ſed proxima, peculiariſque; unice namque in DEO totalis, & ultima rerum omnium quærenda eſt ratio.

(4) Qui de his quoque imbui optaret, is facile poterit obviis aliunde petitis elementis ſibi ſatisfacere.

ad notionem Mundi in genere pervenerunt. Huic originem ſuam debet recens quædam Philoſophiæ pars, quæ *Coſmologia* dicitur.

N. XVII. Expoſitis Philoſophiæ partibus, quæritur, quo illæ ſe ſe ordine excipere debeant? Ex definitione autem Philoſophiæ colligitur, recte quidem univerſim ſtatui, ut illæ præcedant, quæ principia ſuppeditant, ex quibus eorum, quæ in aliis partibus occurrunt, ratio perſpici poteſt.

AN. Operam vero dabimus, ut qui cuique parti ſigillatim locus a nobis tributus fuerit, intelligi queat, cur tribuatur.

§. III.

De Methodo Philoſophica, & Stylo.

N. XVIII.

PEr *Methodum philoſophicam* intelligimus ordinem, quo Philoſophus alios informaturus cogitata ſua, ac inventa diſponere tenetur.

N. XIX. Philoſophia cum ſcientia ſit; generatim relinquitur, Philoſophum, ea alios informaturum, cogitata ſua, ac inventa demonſtrare debere.

N. XX. Leges ſinceræ, curatæque demonſtrationis, quas quidem loco ſuo expoſituri ſumus, exigunt præcipue ſequentia:

I. Non adhibeamus terminos, niſi accurate definitos.
II. Non condamus quoque propoſitiones, niſi determinatas; vagi namque termini, vagæque propoſitiones omnem vim demonſtrationis elidunt.

N. XXI.

N. XXI. Hæc adeo Philoſophus in diſpoſitione cogitatorum ſuorum ſtudioſiſſime accuret, eſt neceſſe. Quibus addendum, quod Clar. Vvolffius haud immerito pro ſuprema Methodi philoſophicæ lege habet: *In tota Philoſophia, & qualibet ejus parte ordo is teneatur, ut præmittantur, per quæ ſequentia intelliguntur, demonſtrantur, vel ſaltem probabiliter adſtruuntur.*

AN. Ne putaverit Philoſophus ad bonam, germanamque methodum requiri, ut omnes, notiſſimos licet, & ſimpliciſſimos terminos, quorum ſignificatus per experientiam, & ſenſum communem ſatis determinatus, & fixus eſt, definiat: nimium hoc foret; quod autem nimium, in vitium abit. Porro noto hic, in principiis certis, ac indubitatis haberi 1. *Definitiones:* 2. *Axiomata, & Propoſitiones identicas:* 3. *Experientias, de quibus ſigillatim ſuis locis.*

N. XXII. Si quid Philoſophus ſumit, ex quo ratio quorundam phœnomenorum reddi queat, tametſi demonſtrari non poſſit, in eo, quod ſumitur, rationem iſtorum contineri, *Hypotheſis philoſophica* dicitur.

AN. E. g. Cum Copernicus ſumpſit Planetas circa Solem quieſcentem moveri, quod ex hoc phœnomena cæleſtia apte explicare poſſet, quia tum nondum demonſtrari potuit, horum phœnomenorum rationem in Sole quieſcente, Planetiſque circa illum motis contineri, hypotheſis philoſophica fuit.

N. XXIII. HYPOTHESIBUS PHILOSOPHO UTI LICET, ITA TAMEN, UT QUÆ EX IIS DEDUCIT, NEQUAQUAM IN DOGMATIS NUMERET. Per hypotheſes namque ad liquidam veritatem, tametſi non certam, perveniri poteſt; licet ergo iis Philoſopho uti (N. XXII.): per dogmata autem intelli-

liguntur veritates, vel propoſitiones demonſtratæ : non ergo quæ ex hypotheſibus deducuntur in Dogmatis numerari poſſunt (N. XXII.).

N XXIV. NON ERGO INTEGRUM EST PHILOSOPHO ADHIBERE HYPOTHESIM ALIQUAM PRO PRINCIPIO DEMONSTRANDI VERITATEM . Veritas namque ejuſmodi Dogma cenſeri deberet ; enimvero Dogma cenſeri non poteſt , quod ex hypotheſi deducitur (N. præc.) : non ergo integrum eſt Philoſopho adhibere hypotheſim pro principio demonſtrandi veritatem.

N. XXV. Ex monumentis illuſtrium Mathematicorum novimus, eos cogitata ſua de quantitatibus ita diſpoſuiſſe , ut 1. terminos exacte definirent, eorumque ſignificatum, ſicubi vagus, & ambiguus foret , figerent , ac determinarent: 2. quod enuntiarent , ex principiis certiſſimis, ac evidentiſſimis deducerent: 3. nihil denique afferrent , quod ex prioribus intelligi non poſſet: cum vero omnia hæc, & ſingula ad methodum philoſophicam requiri viderimus , liquet methodum philoſophicam a mathematica non differre.

AN. Tam methodus philoſophica , quam mathematica communi nomine recte ſcientifica *appellatur ; quæ ab illis diverſa eſt , ſcientifica non eſt dicenda.*

N. XXVI. Stylus philoſophicus appellatur illud dicendi, vel ſcribendi genus, quo Philoſopho in proponendis cogitatis utendum.

N. XXVII. Philoſophia cogitata ſua demonſtrare debet (N. XIX), ut vero demonſtrationi ſua vis conſtet, termini, qui in ea adhibentur, rite intelligantur, eſt neceſſe. Hinc lex præcipua ſtyli philoſophici profluit, ſcilicet: *In eo quammaxime perſpicuitatis ratio habeatur.*

N. XXVIII.

N. XXVIII. Conſectarium ſit, ut quidquid perſpicuitati obeſt, id Philoſophus in ſuo dicendi, vel ſcribendi genere ne admittat. Speciatim ergo

I. Abſtineat a vocibus dubii, & improprii ſignificatus.
II. Quem ſemel voci cuidam ſignificatum tribuerit, eum per aſſumptæ dictionis, vel ſcriptionis contextum illi non adimat.
III. Negligat in dicendo, vel ſcribendo ornatum, ſi is obſcuritatem pariturus ſit.

Patet ſatis, ſecus non fore, ut quæ in demonſtratione allata fuerint, rite intelligantur.

A Philoſopho negligendum dicimus ornatum, ſi is obſcuritatem pariturus ſit: per id vero nequaquam eum barbaro quodam, ac inculto ſermonis genere uti volumus. Contra cupimus, ſit ejus ſtylus purus, ac caſtigatus, ſit imo etiam elegans, ſi modo elegantia perſpicuitati non officiat (5).

APPENDIX HISTORICA

De hominum varia colendi Philoſophiam ratione.

PLurimos repereris, qui cum primum mox hominem Philoſophum creatum aſſerant, ab hoc etiam ad nepotes philoſophandi artem tranſiiſſe velint: ſubinde vero ordine quodam, & ſucceſſione ad ſapientiæ ſtudium Babylonios, & Aſſyrios, Perſas, Sabæos, Arabes, Indos, & Ægy-

(5) Recte monet Auctor magnam in Philoſophia perſpicuitatis habendam eſſe rationem; ipſe tamen non ſemper ea, quam optare poſſemus, claret perſpicuitate.

gyptios animum advertiſſe. Sed enim cum de Philoſophia primorum humani generis, ſtirpiſque hebraicæ Parentum, quod ad nos manaverit, nihil ſatis teneamus; de peritia etiam philoſophica nominatorum Populorum quod forte permodicum tenetur ſimul vehementer incertum ſit; putem ego, quidquid ſuper his attulero, momento cariturum: alio ergo malim digredi.

Haud paullo certiora, niſi vehementer fallor, de cultura, quæ a Græcis eſt Philoſophiæ impenſa, adferri poſſunt. Ac primum ſatis conſtat, eorum ſagaciſſimos quoſque variam philoſophandi iniviſſe rationem, ac viam, quorum alii de rebus cognitioni ſuæ ſubjectis amantes ferre ſententiam, *Dogmatici* (6), alii aſſenſum omnem cohibendum putantes, *Sceptici* ſunt appellati. Priorem philoſophandi rationem, primus ingreſſus eſt Thales Mileſius in Jonia, Aſiæ minoris Regione, unde *Scholæ Jonicæ* nomenclatio, natus ſectatores Anaximenem, Anaxagoram, Diogenem, Apollionatem, Archelaum, præterque alios Pythagoram, qui dogmaticam philoſophandi rationem Italiæ inferens *Scholæ Italicæ* nomen fecit. Dici poteſt, in hac accuratiorem de generali Mundi ſyſtemate doctrinam traditam eſſe. Terra quippe inter Planetas numerabatur, ſtatuebanturque etiam de Cometis talia, quæ cum hodiernorum Mathematicorum obſervationibus probe conſentiunt; laudanda quoque ipſa

ab

(6) Sententiam ferre Dogmatici de omnibus nedum volebant, ſed omnia quoque ſibi eſſe compertiſſima ſtolidiſſima præſumptione gloriabantur. *Vid. Lactantius lib.* III. *Divin. Inſtit.*

ab uſu Geometriæ, ſi is modo parcior fuiſſet.

Scepticorum, qui & *Academici* a loco *Academia* cognominato, quem Academus fundi dominus Philoſophorum exercitationibus ſervire voluit, appellabantur, agmen duxit Socrates. Is cum juvenis in rerum cauſſas ſolicite inquireret, neque tamen in Philoſophorum ſcriptis ſolidi quidpiam deprehenderet, curam omnem ad mores dirigendos, & formandos convertit. Diſcipuli ejus erant Euclides, Crito, Ariſtippus, Cebes, Xenophon, ac præcipue Plato, qui quidem abjectam a Magiſtro cauſſarum inveſtigationem ſubinde reſumens eo feliciter adductus eſt, ut, agnitis activis incorporeis, intellectiviſque ſubſtantiis, de DEO ipſo omnium optime ſentiret; Philoſophus *Divinus* inde cognominatus.

Platonem ipſos viginti annos diſcipulus audierat Ariſtoteles, cum novam ſcholam aperuit a Lycæo, in quo in ambulando docebat *Peripateticam* vocitatam. Scripſit Ariſtoteles inter Græcos plurima. Dialecticam ita egregie ordinavit, & illuſtravit, ut tantum, non Auctor illius cenſeri poſſit. Quæ vero de rerum cauſſis, ac principiis, alii ſtatuerant, iis materiam, formam, & privationem ſuffecit, non ſane magno, ut hodierni Critici obſervant, ſcientiæ naturalis compendio. Obſcuritas, quæ in ejus libris deprehenditur, nunc vitio illi datur, nunc excuſatur, quod intelligi nollet, niſi a Philoſophis. Hæc de ratione, qua olim Græci Philoſophiam coluerint, attuliſſe ſuffecerit.

Ad eam, quæ poſteriorum temporum hominibus propoſita fuit, venimus. Sub Chriſtianæ Reipublicæ exordium Platonis doctrina fere unice,

ce colebatur, dum demum pro Magiſtro Platone aſſumitur Diſcipulus Ariſtoteles, in cujus placitis tum exponendis, tum propugnandis omnes fere poſtea Europæ Nationes elaborarunt. Minus probe eo tempore Philoſophiam eſſe cultam paſſim hodie cenſent, quod, miſſo ſolidæ in rebus veritatis detegendæ ſtudio, plerumque litigationibus de vocibus inhæreretur.

Sæculum quintum decimum forte nondum effluxerat, cum ad ſanius colendam Philoſophiam hominibus mens indita eſt. Sane ſæculo decimo ſexto jam egregie in Aſtronomiæ inſtaurationem incumbebat Peurbachius, cum diſcipulo ſuo Regio Montano; quibus ſuccedebant Copernicus, Tyco Brahe, Keplerus; ea, quæ ab his præclariſſime inventa ſunt, ſubinde excolentibus, ac fere perficientibus Hugenio, Ricciolo, Caſſino, Nevvtono, Galilæo. Hic poſtremus, quantopere Phyſicam etiam non promovit? De motu ſcripſit præſtantiſſime: ejus tum æquabilis, tum accelerati, ac retardati theoriam expoſuit, gravium deſcendentium ſpatia eſſe ut quadrata temporum primus docuit, nec multo minora in nominatam Scientiam ejus diſcipulorum fuere merita; Evangeliſtæ Torricelli præſertim, qui ope columnæ mercurialis gravitatem, & elaſticitatem Athmoſphæræ exploratam fecit. Non vacat de Celeb. Boylii, Guerrickii, Kircheri, Fabri, de Lanis, plurimorumque aliorum præclariſſimis contentionibus, quibus Philoſophiam mirifice provexerunt, ſpeciatim diſſerere. Carteſii, Gaſſendi, Nevvtoni, Leibnitii, & Vvolffii ſenſa (7), & inventa per decurſum identidem ſe ſe nobis offerent.

(7) Se ſe nobis tam frequenter offerunt hoc in prio-

re

PROLEGOMENA LOGICÆ.

§. 1. MEns humana in uſu facultatis cognoſcitivæ nunc verum aſſequi, nunc ab eo deficere animadvertitur: dubitari ergo non poteſt, exercitium cognoſcendi legibus certis, ac regulis ſubjacere. Harum legum, ac regularum traditionem ad Logicam ſpectare dicimus; quam proinde definire licet *Scientiam dirigendi uſum, & exercitium facultatis cognoſcitivæ in veritate cognoſcenda, & aſſequenda.*

SCHOLION 1. Quid Scientiæ nomine intelligatur, quidve per illud de Logica innuatur, colligendum ex Proœm. N. VIII., & IX. Alii Logicam definientes eam nunc Artem, *vel* Scientiam cogitandi, *nunc* Medicinam mentis, *nunc* Scientiam, *vel* Artem ſermocinandi, diſſerendi, *&* diſputandi *dixerunt, de quibus in noſtris Prælectionibus.*

SCH. 2. Sermo nobis eſt de Logica, quam Artificialem *vocant.* Naturalem *in* connatam, *atque* acquiſitam *dividunt; quarum illa in ſola facultate, vel potentia cognoſcendi, & aſſequendi verum, hæc in habitu, ſeu in facilitate abſque regularum ſtudio comparata conſiſtit. Tum Artificialis, tum Naturalis in* docentem, *ac* utentem *diſtribuitur. Docens eſt notitia regularum, utens vero facilitas eas ad praxim transferendi. Notitia* diſtincta *regularum* Logicam

re Volumine Vvolffii ſenſa, ut pro Logicæ, ac Metaphyſicæ Vvolffianæ compendio haberi Volumen iſtud merito poſſit.

nes in animo excitentur: porro ex uſurpatione terminorum familiarium ipſum uſum loquendi conſtitui dicimus.

38. Notio, qua nobis exhibetur res, cui ſignificandæ terminus deſtinatus eſt, ejus ſignificatum *proprium* conſtituit, diciturque inde terminus *proprie ſumi* tamdiu, quamdiu cum eo notio conjungitur, cui indicandæ deſtinatus eſt. Sic tamdiu terminus *Anima* proprie ſumitur, quamdiu per illum ſignificatur ens, quod ſui, aliorumque eſt conſcium, & *Animæ* ſignificatus proprius eſt, ſi voce *Anima* ejusmodi notio excitatur, qua ens ſui, aliorumque conſcium intelligitur.

39. Translatio ſignificatus proprii termini cujuſdam ad deſignandam rem aliam, cui alias terminus proprius ſuppetit, idque propter ſimilitudinem inter res ambas obviam, ſignificatum termini *improprium* conſtituit, diciturque terminus ipſe tali caſu *improprie ſumi*. Si e. g. vocem *Animæ* ad indicandum egregium uſum doctrinæ de Proportionibus in Matheſi transferas, dicaſque, doctrinam de Proportionibus eſſe *Animam* Matheſeos, vocem *Animæ* improprie ſumis.

40. Qui cum termino conjungit notionem, cui in quotidiano ſermone indigitandæ deſtinatus cenſetur, *uſum loquendi obſervare* dicitur. Et cum in ſcientiis idem ſit *receptus terminorum ſignificatus*, quod in vita communi *uſus loquendi*; receptum terminorum ſignificatum obſervare dicendus erit, qui cum termino notionem conjungit, cui is in ſcientia indigitandæ deſtinatur.

SCH. In communi ſermone dum quem pauperem *dicimus, voce hac hominem, qui opibus, ſufficientibuſque ad vitam ſuſtentandam præſidiis deſtituitur, ſi-*

gnificatum cupimus: qui proinde cum voce iſta notionem ejuſmodi hominis conjungit, uſum loquendi obſervare cenſendus eſt: contra obſervare cenſendus non eſt, qui audita voce pauperis *hominem neſcio quomodo aliter miſerum ſibi repræſentat. In Logica per vocem* Apprehenſio *ſignificatur actus mentis, quo illa ad rem ſibi præſentem præciſe attendit: concipiens itaque hujuſmodi actum, audito, vel lecto termino* Apprehenſio, *receptum ſignificatum in Logica obſervat; ſecus non obſervat.*

41. Ex terminorum combinatione *Oratio* naſcitur. Orationibus tum Judicia, tum Ratiocinia indicantur. Oratio, *qua indicatur Judicium, Propoſitio*, vel *Enuntiatio; qua vero Ratiocinium proditur, Syllogiſmus* appellatur.

SCH. Quæ porro ad uſum terminorum tanquam ſignorum cogitationum humanarum ſpectant, ea opportunis locis adhuc docebimus.

SECTIO II.

De Notionibus, & Apprehenſionibus in ſpecie.

CAPUT I.

De Notionum, & Apprehenſionum differentia.

42. REs menti noſtræ ita præſens eſſe poteſt, ut ad eam attendentes eandem ab aliis rebus diſcernamus; quod quidem eatenus accidit, quatenus in illa aliqua advertimus, quæ ipſi, non item aliis, ineſſe, convenireque noſcuntur. Dicun-

cuntur hæc *Notæ rei*. Notio porro, *qua menti nostræ notæ rei ad eam discernendam sufficientes exhibentur*, *Notio clara* appellatur, nosque ipsi, mediante tali notione, rem *clare apprehendere* dicimur.

SCH. E. g. Lunæ, vel Solis notio clara nobis est, cum quædam advertimus, vi quorum Solem, vel Lunam ab aliis syderibus discernere valeamus.

43. Exposita notione clara, facile intelligi potest, quæ notio sit *obscura* dicenda: scilicet, *quæ menti notas ad rem agnoscendam, ac ab aliis discernendam sufficientes non exhibet*, seu per quam rem ipsam ab aliis internoscere non valemus.

SCH. Notio obscura e. g. vocis Titii nobis foret, si pluribus aliis loquentibus vocem illius a vocibus cæterorum non discerneremus.

44. Ut aliæ notiones nobis clare, aliæ obscuræ sunt, ita & termini sunt alii clari, alii obscuri. Terminus *clarus* dicendus est, *cum quo notionem claram*; *obscurus*, *cum quo notionem non nisi obscuram conjungere valemus.*

SCH. 1. *Termini* Aqua, Ignis *&c. sunt clari. Obscuri sunt quamplurimis termini, quibus complures plantæ, earumque partes significantur: e. g. Vox* Parenchyma, *quæ Grewio significat spongiosam illam materiam, ex qua cortex plantæ constat, in aqua spongiæ instar turgescentem.*

SCH. 2. *Experientia satis docemur, ejusdem rei notionem alteri posse esse claram, alteri obscuram; idem de terminis est.*

45. Notio, quæ menti notas rei exhibet, vel ita illas exhibet, ut sigillatim ab ea perspiciantur, atque adeo una ab altera discernatur, vel

ita non exhibet. Prior *diſtincta* ſalutatur, poſterior *confuſa* audit; dicimurque per illam rem *diſtincte apprehendere*, per hanc non niſi *confuſe*.

SCH. Circa notiones diſtinctas, & confuſas quædam ante doceri debent, quam earum exempla apte dentur (12).

46. ETSI NOTIO ALIQUA SIT CLARA, NON HOC IPSO EST DISTINCTA. Clara namque cum dicatur notio, quatenus menti exhibet notas ad rem agnoſcendam, ac diſcernendam, ſaltem ita exhibere poterit, ut ſigillatim non perſpiciantur; quo proinde caſu confuſa ſolum, non diſtincta erit.

SCH. 1. *Carteſius, & Leibnitius pro eximio, quo pollebant acumine merito diſcrimen inter notionem ſolum claram, & notionem claram, ac diſtinctam, fieri debere obſervarunt; cum namque ſatis advertere poſſimus, diverſo plane modo notas rei ejuſdem menti exhiberi poſſe, ſane perinde videri non debet, ſive uno, ſive altero modo illæ menti exhibeantur.*

SCH. 2. *Maximæ ſunt prærogativæ notionis diſtinctæ; ope illius namque ſignificatus terminorum determinatur, fixuſque redditur, ſine quo in ſcientiis aliquid ſolidæ, ac certæ veritatis nos obtenturos nequid-*

(12) Notionis diſtinctæ exemplum facile ab homine poteſt deſumi, a planta, & ab aliis hujuſcemodi infinitis. Hominem agnoſco, ipſumque ab alio quocumque objecto, puta a planta, diſtinguo; hominis notio eſt *clara*. Agnoſco præterea a planta diſtingui hominem per animam rationalem, & per corpus tali pacto organicum; *diſtincta*, nedum clara eſt hominis notio. E contra colorem viridem clare percipio, a flavoque optime diſtinguo, quia tamen notas aſſignare non valeo, quibus viride a flavo differt, colorem iccirco viridem clare percipio, aſt non diſtincte, ſed confuſe. Verum de his plura in Pſychologia empirica.

quidquam ſperamus. Porro quod per notionem diſtinctam apprehendimus id demum dici poſſumus Intelligere, *cum illud intelligere cenſendi ſimus, quod, quid, vel quale ſit, explicare valemus; valemus autem non niſi tum, cum notas illius ſigillatim diſcernimus, hoc eſt, cum notionem illius diſtinctam habemus.*

47. AD NOTIONES DISTINCTAS MENS OPE ATTENTIONIS, ET REFLEXIONIS PERVENIT. Notio diſtincta eſt, quæ rei notas ita exhibet, ut ſigillatim perſpiciantur, & diſcernantur (§. 45.), per attentionem, & reflexionem ea, quæ rei inſunt, ſigillatim menti præſentia fiunt (§. 13.); notæ ergo illi exhibentur, quas diſcernere poſſit: notionem proinde tali caſu acquirit diſtinctam.

48. *Si per notionem claram ſigillatim omnes illæ notæ, quæ ad rem ſufficienter diſcernendam pertinent, perſpiciantur*, dicenda erit *diſtincta completa*; ſecus non niſi *incompleta*.

SCH. Notio clara Corporis, *per quam ſolum extenſio diſcernitur, diſtincta quidem dici poteſt, ſed non completa; cum enim ad corpus diſcernendum præter extenſionem alia requirantur, per notionem memoratam non omnes notæ ad rem ſufficienter diſcernendam perſpiciuntur, conſequenter non niſi incompleta eſt.*

49. Notæ, quas notio diſtincta menti ſigillatim exhibet, non deſtituuntur ſuis iterum notis, quæ adeo etiam exhiberi poſſunt. Facile autem intelligitur, hic progredi, & aſcendere licere. *Notio præter notas rei etiam exhibens notas notarum, Adæquata*, ſecus *Inadæquata* dicitur. Quo in exhibitione notarum altius proceditur, eo notio eſt adæquatior.

SCH. 1. *Mens ad notiones adæquatas pariter pervenit attentione, & reflexione, dum nempe ad exhibitas rei notas attendens, ac ſuper iis reflectens, illas in ſimpliciores reſolvit; qua tamen in reſolutione propter limitationem ſuam nunquam perventura eſt ad notas porro non reſolubiles: ſed nec opus habet in eas uſque progredi; acquieſcere namque poteſt, ubi eo pervenerit, ut rei propoſitæ notione diſtincta gaudens eam intelligere cenſeri poſſit.*

SCH. 2. *Exemplo dicta jam illuſtro: Cl. Vvolffius Corpus ſub notione entis compoſiti materia, & vi movendi præditi concepit. Hanc adeo notionem vult primo* diſtinctam, *quia notas corporis, ſcilicet compoſitionem, materiam, & vim movendi ſigillatim exhibet: vult etiam* completam, *quia notæ exacte ſufficiunt ad corpus agnoſcendum, & diſcernendum: foret vero hæc porro notio* adæquata, *ſi notas ipſius compoſitionis, materiæ, & vis movendi ſigillatim exhiberet. Enimvero, qui intelligere Corpus præciſe conſtitutum habet, in adducta notione acquieſcere poterit, progreſſurus attentione, & reflexione, ſi intelligere e. g. ipſam compoſitionem volverit.*

SCH. 3. *Adhuc notiones, & apprehenſiones ad mentem retulimus, indeque earum differentiam elicuimus; nunc earum cum objectis comparatarum diſcrimen detegendum.*

50. Notiones ad objecta ſua relatæ ſunt vel *Singulares*, vel *Univerſales*. Singularis dicitur notio, *quæ individuum aliquod, ſeu rem, ut actu exiſtentem menti exhibet*. Notiones univerſales vero appellantur *notiones ſimilitudinum in entibus repertarum*, vel potius notiones, quibus menti exhibentur ea, quæ in pluribus entibus eadem ſunt, ſive quæ pluribus entibus communia ſunt,

ſe-

ſecluſis iis, quæ in illis diverſa exiſtunt.

SCH. Notio, qua menti exhibetur Petrus, *vel* Paullus exiſtens, *notio ſingularis eſt; notio vero, qua menti exhibentur eæ determinationes, ob quas Petrus præciſe in claſſe hominum continetur, quæquæ Paullo juxta, ac aliis communes ſunt, univerſalis eſt dicenda.*

51. Determinationes tum illæ, ex quibus genera, tum eæ, ex quibus ſpecies conſtituuntur, pluribus entibus communes ſunt (§. 23., & §. 24.). Hinc conficitur, *tam notiones generum, quam ſpecierum eſſe univerſales*. Quoniam vero inter determinationes, ex quibus ſpecies aliqua conſtituitur, ſunt determinationes differentiam ſpecificam abſolventes (§. 25.), conſequens etiam fit, *notiones differentiarum ſpecificarum inter univerſales numerandas eſſe.*

SCH. 1. *Præter ternas has notionum univerſalium ſpecies paſſim etiam univerſales cenſentur notiones attributorum tam propriorum, quam communium, neque vero immerito; cum enim hæc vel pluribus ſpeciebus reſpective communia ſint* (§. 27.), *utique notiones, quibus illa repræſentantur, univerſales cenſendæ ſunt* (§. 50.).

SCH. 2. *Concedendum etiam, notiones modorum poſſe eſſe univerſales, tum ſcilicet, cum in pluribus individuis eadem ratio extrinſeca adeſt, vel adeſſe concipitur, cur modus aliquis cuivis eorum inſit, vel adſit. Quo equidem caſu notio talis modi aliquid pluribus entibus commune repræſentabit; conſequenter univerſalis erit.* (13)

(13) Univerſales hæ notiones, ſeu ideæ, illa ſunt quinque Porphirii Univerſalia, *Genus* ſcilicet, *Differentia*,

52. NOTIONES UNIVERSALES POTEST MENS ADIPISCI EX SINGULARIBUS NOTIONIBUS OPE ABSTRACTIONIS. Sit res quædam ſingularis, ſeu ens individuum menti præſens, poteſt hæc attendere ad ea, quæ in illo aliis communia ſunt, omiſſis, ſeu non conſideratis iis, quibus ab aliis differt (§. 14.); enimvero ex terminis rite intellectis patet, illam hoc ipſo habituram notionem univerſalem: igitur ope abſtractionis ex notionibus ſingularibus mens adipiſci poteſt univerſales.

53. Tam notiones ſingulares, quam univerſales terminis indigitamus. Terminus, *quo indicamus notionem ſingularem*, dicitur *Singularis*, *quo*

---

tia, *Species*, *Proprium*, & *Accidens*, de quibus tam multa, incaſſum forte, differebant Scholaſtici. Duo circa hæc adnotaſſe ſufficiet. Primo. Triplex, auctore Porphirio, eſt differentia, *communis*, *propria*, & *maxime propria*. Communis illa dicitur differentia, qua plura penes accidens diſcriminantur; hoc modo differt homo *albus* a *nigro*; propria illa vocatur, qua unum ab alio ratione proprietatis differt, ut homo a brutis *per ſermocinationem*; demum maxime propria eſt illa differentia, qua in eſſentia plura differunt, ut homo a brutis *per rationalitatem*. Secundo. Quatuor modis apud eundem Porphirium aliquid dicitur Proprium. Proprium primo modo dicitur attributum, quod *ſoli ſpeciei* convenit, ſed *non omni*. Sic eſſe Chriſtianum, vel Philoſophum, vel Medicum ſoli competit homini, non tamen omnibus hæc competunt reipſa hominibus. Proprium dicitur ſecundo modo, quod competit *toti* ſpeciei, ſed *non ſoli*. Sic omni convenit homini habere caput, ſed non ſoli. Proprium tertio modo dicitur, quod convenit *omni*, & *ſoli*, ſed *non ſemper*. Sic dormire, aut vigilare omni convenit, & ſoli viventi, ſed non ſemper. Quarto demum modo proprium dicitur, quod *omni* convenit ſpeciei, & *ſoli*, & *ſemper*. Sic homini convenit eſſe Veritatis cupidum.

quo vero *notionem univerſalem*, *Communis*. Ad indicandas notiones ſingulares, ſeu individuorum adhibentur nomina, quæ *propria* a Grammaticis dicuntur, ut *Cajus*, *Sempronius*, *Bucephalus* (equus Alexandri), aut, ſi *appellativa* adhibentur, adjungitur illis pronomen ſingularitatem entis manifeſtans, ut *hic homo*, *iſte equus &c.*: ad indigitandas notiones generum, & ſpecierum nomina *ſubſtantiva appellativa* ſine alio vocabulo addito, ut *homo*, *equus*: attributorum denique, & modorum, ut talium, notiones per nomina *adjectiva* ſignificantur.

54. Notiones, vel ſola eſſentialia menti ſiſtunt, vel præter hæc etiam attributa, & modos. Illæ dicuntur *ſimplices*, cujuſmodi ſunt notiones generum, & ſpecierum, per attentionem, & abſtractionem acquirendæ; *hæ complexæ* ſenſuum beneficio obtinendæ.

SCH. Equidem apparet, a nobis multo aliter accipi notionem ſimplicem, atque a compluribus etiam Recentioribus accipitur, qui eam ſenſuum etiam beneficio acquiri affirmant, cujuſmodi illis ſunt notiones coloris, odoris, ſaporis &c.; quas nos tamen complexas aſſerimus; confuſas vero, utpote per quas notas nullas diſcernamus, defectu tenente ſe ex parte mentis cognoſcentis, non objecti.

55. Terminus, *quo notio ſimplex indicatur*, terminus *ſimplex*, *quo complexa*, *complexus* appellatur. Termini ſimplices e. g. ſunt *animal*, *homo*: complexi *homo docilis*, *homo doctus*, *homo albus*.

56. Ea, quæ enti alicui inſunt, aut adſunt, vel ſiſtuntur menti cum ipſo ente, cui inſunt, aut adſunt, quo caſu notio *concreta* dicitur; vel

abſ-

abſque hoc ente, quo caſu notio *abſtracta* appellatur: illi reſpondet terminus, qui *concretus*; huic, qui *abſtractus* vocatur.

SCH. E. g. Notio, qua repræſentatur ens album, notio concreta eſt, terminusque albus *terminus concretus eſt; ſignificat namque ens continens albedinem: contra, qua repræſentatur ſolum albedo abſque illo, cui ea ineſt, abſtracta eſt, terminuſque* albedo *eſt terminus abſtractus.*

CAPUT II.

De Definitione.

57. *Definitio* eſt *Oratio, qua exprimitur notio continens notas rei cujuſdam, quæ eidem pro omni ſtatu, ac tempore, ſatis agnoſcendæ, ac ab omnibus aliis diſcernendæ* præciſe *ſufficiunt*. Ipſe terminus, vel res eo denotata *Definitum* appellatur.

SCH. Notio hujusmodi notio completa determinata *audit, opponiturque ei partim* notio abundans, quæ plures notas, *partim* incompleta, quæ pauciores notas continet, quam quæ rei agnoſcendæ, ac diſcernendæ ſufficiunt.

58. Ex eo ipſo, quod definitio ſit oratio exprimens notionem continentem notas rei pro omni tempore, & ſtatu agnoſcendæ, ac diſcernendæ præciſe ſufficientes, conſectariorum inſtar deducitur.

I. Quæ in definitione notæ recenſentur, rebus aliis ab ea, quæ per definitum indigitatur, non eſſe communes debent.

II. Convenire tamen debent iis omnibus, quæ ſub definiti-

finito comprehenduntur.

SCH. Alias dicitur, definitionem convenire debere omni, & ſoli definito. *Qui e. g. Angelum definire conſtitutum habet, is ne dicat eum* ſubſtantiam intellectu, & voluntate præditam; *nam id ipſum anima humana commune habet: neque hominem definiturus eum aſſerat* animal eruditum; *id namque non omni homini convenire ſcitur.*

59. Si in definitione recenſerentur notæ rebus ab ea, quæ per definitum indigitatur, diverſis convenientes, dicendum foret, definitionem *latiorem eſſe*, quam definitum: contra ſi recenſerentur non convenientes omnibus, quæ ſub definito comprehenduntur, eſſe *anguſtiorem*: patet ergo (§. præced.), *definitionem ſuo definito nec eſſe debere latiorem, nec anguſtiorem, conſequenter eidem adæquatam eſſe oportere.*

60. Hinc autem porro ſequitur, definitionem recte conſtitutam pro ipſo definito tuto ſumi, ſeu illam huic ſubſtitui poſſe, quin mutatio ſit aliqua obſervanda; conſequenter *definitionem, & definitum eadem eſſe* (§. 22.).

SCH. Alii dicunt legitimam definitionem convertibilem eſſe cum definito.

61. QUI NON HABET NOTIONEM REI DISTINCTAM, IS EAM DEFINIRE NON POTEST. Rem aliquam definiturus notas rei agnoſcendæ, ac diſcernendæ ſufficientes ſigillatim recenſere tenetur (§. 57.); recenſere autem has notas non poterit, notione rei diſtincta deſtitutus: nec ergo eam definire.

SCH. Non mirum in diſciplinis (Matheſi excepta) diu deſideratas eſſe definitiones legitimas, cum non curatæ ſint notiones diſtinctæ.

62.

62. TERMINI CUJUSDAM, SIVE REI PER EUM DENOTATÆ, DEFINITIONEM CONDENS, TERMINIS NON NISI CLARIS, FIXISQUE UTI TENETUR. Per definitionem namque exprimenda, & excitanda eſt notio diſtincta completa determinata (Sch. §. 57.); ad hanc vero exprimendam opus eſt terminis claris, ac fixis: iis ergo definiens uti tenetur.

SCH. Hinc a ſcientiæ cultoribus exigitur, ut rem definituri terminos ipſos, qui definitionem ingredientur, ante definiant, ſeu notas illorum recenſeant, quo ipſi indubitate clari evadant, eorumque ſignificatus determinetur.

63. Idem per idem exprimi dicitur, ſi in oratione nullæ rei notæ exprimuntur: oratio ergo qua idem per idem exprimitur, definitio nequaquam eſt (§. 57.). Nulla eſt e. g. definitio Quantitatis: *Quantitas eſt, quod rem facit quantam.*

64. IN DEFINITIONE NON LICET LOCUM CONCEDERE DEFINITO. In definitione enim afferri debent notæ definiti; idem autem non poteſt eſſe nota ſui: liquet ergo, quod aſſertum eſt.

SCH. Dum terminus definitus fuerit terminus complexus indicans genus, & differentiam ſpecificam rei per terminum indigitatæ, terminusque genus indicans in definitionem fuerit aſſumptus, cenſendum erit, non definitum, ſed notam illius definitionem ingredi: caſus talis proinde ad propoſitionem noſtram non ſpectat. Hinc e. g. bona eſt definitio hæc: Triangulum æquilaterum eſt triangulum, quod omnia latera æqualia habet.

65. Ex hoc facile oſtenditur, palmare etiam in definiendo vitium committi, ſi definitionem ingrediatur terminus, cujus termini definitionem ip-

ipſum definitum ingreditur, quod vitium *Circulus* appellatur; re enim ipſa definitum ingreditur definitionem ſui.

SCH. Si e. g. annum dixeris partem centeſimam ſæculi, tum vero definias ſæculum eſſe tempus centum annorum, in definiendo circulum committis.

66. DEFINITIONES PROPRIE INDICANDIS ENTIUM SPECIEBUS DESTINANTUR. Enimvero cum entis alicujus ſpecies conſtituatur per eas determinationes eſſentiales, quæ partim genus, partim differentiam ſpecificam abſolvunt, ſintque adeo iſtæ determinationes notæ, ex quibus ſpecies aliqua ſufficienter agnoſci, ac diſcerni poteſt; liquet cur dicatur: *Definitionem bonam, ac legitimam eſſe, ſi conſtet genere, & differentia.*

67. IGNORATIS ESSENTIALIBUS, PER QUÆ SPECIES ENTIS ALICUJUS CONSTITUITUR, DEFINITIO ILLIUS CONDI POTEST PER ATTRIBUTA PROPRIA. Quæ enim entia eadem attributa propria habent, ejuſdem ſpeciei ſunt (§. 28.); ex attributis propriis proinde entium ſpecies agnoſci, & diſcerni poſſunt: per illa proinde definitiones condi poſſunt.

SCH. 1. *Genus reſpectu generis ſuperioris ſpecies eſt. Quæ proinde hac, & præcedente propoſitione de ſpeciebus adduximus, facile ad genera applicari poſſunt.* (14)

SCH. 2. *Definitio, quæ ex eſſentialibus conditur* eſſentialis, *quæ vero ex attributis*, accidentalis *au-*

(14) Apud Logicos genus unum dicitur alio ſuperius, cum eſt magis univerſale; e. g. *ſubſtantia* eſt genus ſuperius *corpore*, quia multo ſunt plura, de quibus dici poteſt ſubſtantia, quam corpus. Speciem quoque, quæ eſt genus, dicunt Logici *ſubjicibilem*, *non prædicabilem*.

audit . Equidem cum non ita facile , certoque entis eſſentialia teneamus , quemadmodum attributa tenere poſſumus , potius ex attributis , quam ex eſſentialibus definitiones formantur . Sane Mathematicis ſolemne novimus , linearum curvarum ſpecies per proprietates , ſive attributa indicare .

68. IN DEFINITIONEM tamen NEQUAQUAM ADMITTENDI SUNT MODI . Modi namque cum rationem ſuam , cur enti inſint , vel adſint , extra eſſentialia habeant (§. 20.), ſalvis eſſentialibus , atque adeo ſalva ſpecie entis , abeſſe , vel adeſſe poſſunt ; non itaque notæ eſſe poſſunt ad ſpeciem entis pro omni ſtatu , ac tempore agnoſcendam , & diſcernendam : conſequenter in definitionem nequaquam admittendi .

SCH. Qui ens quoddam per modos , qui ei ineſſe , vel adeſſe obſervantur , exprimunt , non illud definiunt , ſed deſcribunt ſolum . Deſcriptio e. g. , non definitio eſt : Equus eſt animal promovendis rhedis ſubſerviens . *Nota* , deſcriptiones individuorum eſſe : *hinc dixi , definitiones proprie indicandis ſpeciebus deſtinari* (§. 66.) . (15)

69.

---

(15) Ex communi Philoſophorum ſententia triplex eſt *Definitio deſcriptiva* , alia *propria* , *accidentalis* alia , alia *cauſſalis* . Propria dicitur , quæ rem explicat per ſuas proprietates . E. g. *Homo eſt animal providum , ſagax , acutum , memorioſum , plenum rationis , & conſilii* . Accidentalis eſt , quæ rem explicat per varia accidentia , quæ ſigillatim quidem aliis conveniunt , at conjunctim ſoli definito . Sic Virgilius definit Poliphemum :

Monſtrum horrendum , informe , ingens , cui lumen ademptum ;
Trunca manum pinus regit , & veſtigia firmat .

Cauſſalis eſt definitio , quæ rem explicat per cauſſas extrinſecas . E. g. *Homo eſt animal ad imaginem DEI factum propter beatitudinem ſpiritualem .*

69. Reliquum adhuc eſt, ut de diviſione definitionis agamus. Diſpeſcitur illa in *Nominalem*, & *Realem*. Per definitionem nominalem ad mentem Recentiorum intelligimus definitionem, *qua recenſentur notæ*, ſive hæ ab eſſentialibus, ſive ab attributis deſumantur, *quæ rei definitæ ſatis pro omni tempore, & ſtatu agnoſcendæ, & diſcernendæ ſufficiunt*.

SCH. Veteres Philoſophi per definitiones nominales intelligebant grammaticas vocum explicationes, referebantque huc 1. Etymologiam, *qua in originem, & radicem vocis inquiritur*: 2. Synonymiam, *qua voces aliæ idem ſignificantes adducuntur*: 3. Homonymiam, *qua multiplex vocis ſignificatus affertur. Hinc per illorum definitionem nominalem ſatisfiebat quæſtioni*: Quid vox ſignificet? *demumque per definitionem realem*: Quid res ſit? *exponebatur. Nos Veterum definitionem nominalem Grammaticis relinquimus, ad Philoſophum pertinere exiſtimantes, ut rei per vocem indigitatæ notas recenſeat, atque ita ipſius vocis ſignificatum fixum, determinatumque reddat.*

70. Definitionem realem dicimus, *qua diſtincte modus, quo fieri ens quoddam poteſt, exprimitur*. Dicitur realis definitio etiam *Genetica*, ex eo, quod modus, quo aliquid fit, vel generatur, aut fieri, vel generari poteſt, rei *geneſis* audiat; definitio autem exponens rei geneſim genetica ſalutetur. (16)

SCH.

---

(16) Definitionem geneticam eſſe realem verum eſt: at ſolam geneticam realem eſſe non facile concedent Philoſophi omnes, atque Theologi. Quot enim ſunt definitiones reales, quæ geneticæ non ſunt? Forte-ne definitio deſcriptiva eſt genetica, quam ſumſi ex Virgilio,

SCH. Pro exemplis definitionum geneticarum, vel realium haberi quodam modo poſſunt definitiones, quibus mentis humanæ operationes, Apprehenſionem, Judicium, ac Ratiocinationem expreſſimus; dum namque diximus e. g. Ratiocinationem eſſe actum mentis, quo ex duobus judiciis communem notionem habentibus tertium elicitur, *modum ſaltem in genere dedimus, quo ratiocinatio fit, vel fieri poteſt, ſeu geneſim ratiocinationis expoſuimus.*

71. Qui volet rei cujuſdam definitionem realem, ſive geneticam condere, cauſſas illius perſpectas, & quid unaquæque ad productionem contulerit, exploratum habeat, eſt neceſſe: ſatis namque manifeſtum eſt, fore, ut qui hæc ignoraverit, is modum, quo res facta eſt, vel fieri poteſt, ſive geneſim illius nunquam explicare poſſit; neceſſe ergo eſt, perſpecta, atque explorata illa habeantur.

SCH. Cum rerum plurimarum cauſſas, atque ortum ab hominibus ignorari certiſſimum plane ſit, fatendum equidem, rerum plurimarum definitiones reales, ſive geneticas ab iis dari non poſſe.

CAPUT III.

De Diviſione.

72. DIviſio dicitur *Oratio, qua totum aliquod in ſuas partes reſolutum, & diſtributum indica-*

---

gilio attulimus, aliæque hujuſmodi? Forte-ne definitiones Myſteriorum Trinitatis, Sacramenti Euchariſtiæ, aliarumque fidei veritatum inter geneticas numerabimus? Definitiones reales objectorum, quæ lumine naturali cognoſcuntur, ex demonſtrationibus eſſe deducendas non diffiteor; ideo-ne geneticæ erunt dicendæ?

dicatur. Id, quod in partes reſolvitur, & diſtribuitur, Diviſum vocatur; *partes* vero, *in quas reſolvi, & diſtribui indicatur, Membra dividentia* audiunt.

73. Diviſionem aliam dicunt *Phyſicam, qua ens aliquod phyſice compoſitum in partes ſuas, vel eſſentiales*, ut *Homo* in *corpus*, & *animam*, *vel* in partes *integrales*, ut *Homo* in *caput*, *pectus*, *pedes*, *manus* &c. *diſtribuitur*; aliam *Logicam* appellant, *qua notio aliqua univerſalis in ſibi ſubjectas particulares notiones reſolvitur*, ut genus ſuperius in genera inferiora; hæc in ſpecies &c.: diviſio e. g. logica eſt, qua *Vivens* dicitur *animal*, vel *planta*; *animal* vero *homo*, vel *brutum*. Ens phyſice compoſitum dici ſolet *Totum actuale*; notio vero aliqua univerſalis *Totum potentiale*.

74. Diviſiones etiam diverſa nomina ſortiuntur a numero membrorum dividentium: dicitur enim diviſio *Bimembris*, vel *Ditochomia*, ſi duo; *Trimembris*, ſeu *Tritochomia*, ſi tria; *Quadrimembris*, ſeu *Tetrachomia*, ſi quatuor fuerint membra dividentia &c.

75. Si membra dividentia rurſus in novas partes dividimus, *Subdividere* dicimur; e. g. ſubdividimus, ſi Notionem dicimus eſſe vel *claram*, vel *obſcuram*; claram vero vel *diſtinctam*, vel *confuſam*.

76. Diviſum nec plus, nec minus, quam membra dividentia ſimul ſumpta complectatur, ſive: *Membra dividentia ſimul ſumpta diviſum adæquent, oportet*. Diviſum enim, cum conſideretur ut totum, & membra dividentia ut partes ſpectentur; partes vero ſimul ſumptæ præciſe totum adæquare debeant (per Princ. Ontol.); patet, mem-

bra dividentia diviſum adæquare debere.

SCH. Vitioſa proinde foret diviſio, ſi quis Animal divideret in hominem, brutum, *&* plantam; *plus namque membra dividentia complecterentur, quam diviſum, cum Animal plantam non complectatur.*

77. Sunt aliæ quoque regulæ, ac leges, ad quas diviſiones, ſi quidem bonæ, legitimæque eſſe debeant, exactas eſſe convenit: eas ex Recentiori quodam hic adnectimus.

I. Membra dividentia quodam ſibi modo repugnent, nec unum alterum contineat.

Hinc non bene dividitur Figura in *rectilineam*, *curvilineam*, & *quadrilateram*.

II. Diviſio nihil contineat obſcuritatis, adeoque termini evitentur nihil ſignificantes.

III. Tot membra dividentia conſtituantur, quot ipſa rei diviſæ natura ſuppeditat.

IV. Hinc neque ſuperſtitioſe inhærendum Ditochomiis cum Ramiſtis, neque numerus membrorum dividentium eſt nimium multiplicandus.

Idem enim, ait SENECA, vitii habet nimia, quod nulla diviſio.

V. Diviſio non faciat ſaltum.

Non convenit ita dividere: Animal eſt *homo*, vel *equus*; medium namque eſt *brutum*. (17)

SE-

(17) Optimæ diviſionis regulæ communiter tradi ſolitæ, & breviores ſunt, & perſpicuæ magis: en illas: Reg. I. *Diviſio ſit brevior, quam fieri poſſit. Simile enim eſt confuſo quidquid in pulverem ſectum eſt*, inquit Seneca Ep. 90. Reg. II. *Diviſio ſit adæquata. Obnitendum*, ut egregie monet Quintil. lib. IV. Inſtit. Orat. cap. 1., *ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit*. E. g. Diviſio terræ in Europam, Aſiam, Africam, Americam, adæquata eſt. Reg. III. *Membra diviſionis ſe ſe mutuo ex-*

SECTIO III.

De Judiciis in ſpecie, & Propoſitionibus.

CAPUT I.

De Judiciorum, & Propoſitionum differentiis.

78. *Judicare* dicimur, *cum duas notiones conjungimus, vel ſeparamus* (§. 15.) : *conjunctio notionum* dicitur *Judicium affirmativum*, *ſeparatio* vero *Judicium negativum*.

79. In omni judicio adeſſe debet notio, cui aliam conjungimus, vel a qua aliam ſeparamus, itemque notio, quæ alteri conjungitur, vel ab ea ſeparatur: ſive in omni judicio adeſſe debet *notio rei, de qua aliquid affirmatur, vel negatur*, quæ res *Subjectum* dicitur; itemque *notio illius, quod affirmatur, vel negatur*, quod ipſum *Prædicatum* audit.

80. Cum propoſitio ſit oratio, qua judicium ex-

excludant. Vitioſum eſt, inquit Tull. de Fin. lib. II. cap. 9., *in dividendo partem in genere numerare*. E. g. Diviſio terræ in Italiam, Europam, Aſiam, Africam, Americam, mala eſt; Italiam enim Europa continet. Reg. IV. *Diviſio fiat in membra immediata*. Diviſio terræ e. g. in quatuor primo fieri debet præcipuas partes; tum unaquæque pars in ſuas item partes præcipuas &c.

exprimitur (§. 41.); patet, eam duobus terminis conſtare debere, quorum unus ſubjectum, alter prædicatum notet, eſſeque adeo propoſitionem quamvis vel *affirmativam*, vel *negativam*: affirmativam quidem, *cum terminus prædicatum denotans cum termino ſubjectum denotante conjungitur, vel de eo affirmatur*; negativam autem, *cum terminus prædicati a termino ſubjecti ſeparatur, vel de eo negatur.*

SCH. Nota hic, orationes, quibus interrogamus, optamus, exclamamus, cum eæ judicium, ſive animi ſententiam proprie non exprimant, nec affirmationem, vel negationem continеant, in propoſitionum perfectarum numero non eſſe habendas.

81. In quavis autem propoſitione adeſſe etiam debet vox, qua ipſa conjunctio, vel affirmatio indicetur. Vox hæc uſitato nomine *Copula* audit, cui ſi præfixa fuerit particula *Non*, ſeparatio, vel negatio indicabitur.

SCH. Copula eſt Verbum ſubſtantivum Sum, es, eſt, *& quidem præſentis temporis, eo quod per copulam conjunctio prædicati cum ſubjecto actu in mente præſens indicari debeat. Sed quid? Nunquid non dicimus*: Petrus fuit Conſul; Petrus erit Conſul? *Enimvero in his, ſimilibuſque propoſitionibus copula latet; ipſum vero præteritum, vel futurum tempus ad indicandum ſtatum ſubjecti, non vero nexum prædicati cum ſubjecto, pertinet. Hinc reſolvuntur tales propoſitiones ita:* Petrus eſt is, qui fuit, vel erit Conſul, *ubi ſtatus Petri explicatur.*

82. Si particula *non* ad copulam non refertur, propoſitio non eſt negativa, licet eſſe videatur. Propoſitio ejuſmodi *infinita*, vel *infinitans* appellatur.

SCH.

SCH. Si e. g. dicamus: Petrus non Conſul eſt, *& particulam* non *ad copulam non referamus, ſenſus erit*: Petrus eſt aliud quid, quam Conſul, *quæ propoſitio negativa utique non eſt*, *ſed affirmativa*.

83. Propoſitiones dicuntur *perfectæ*, *quæ apertum, ac expreſſum ſubjectum, prædicatum, & copulam habent*, ut *Paullus eſt Prætor*: contra *imperfectæ*, itemque *crypticæ* appellantur, *in quibus vel prædicatum, vel ſubjectum, vel copula latet*.

SCH. Huc maxime ſpectant propoſitiones, in quibus copula in prædicato latet, cujuſmodi ſunt: Cajus ſcribit. Titius dormit; *reſolvuntur namque* Cajus eſt ſcribens. Titius eſt dormiens.

84. Paſſim Philoſophi propoſitiones juxta notiſſimam illam quæſtionem: *Quæ, qualis, quanta*, expendunt, indeque illarum differentias conſtituunt. In quæſtione: *Quæ ſit propoſitio?* attendunt, an ſit Simplex, vel Compoſita. In quæſtione: *Qualis ſit?* an ſit Affirmativa, vel Negativa. In quæſtione denique: *Quanta ſit?* an ſit Univerſalis, vel Particularis, vel Singularis. Paucis ſingula explicare juverit.

85. Propoſitionem *ſimplicem* appellamus, *quæ unico gaudet ſubjecto, unicoque prædicato*, e. g. *DEUS eſt omnipotens*. Propoſitio *compoſita* contra dicenda eſt, *in qua vel plura ſubjecta, vel plura prædicata continentur*. E. g propoſitiones ſunt compoſitæ: *DEUS eſt omnipotens, & æternus. Virtus, & ſcientia ſunt amabiles*.

86. Propoſitio compoſita alia eſt *copulativa*, alia *disjunctiva*. Copulativa eſt, *in qua pluribus ſubjectis idem prædicatum tribuitur, vel ab iiſdem removetur*, vel eidem ſubjecto plura prædicata

tribuuntur, vel ab eo removentur. Videantur exempla §. præc. Propoſitio disjunctiva dicitur, *in qua ex pluribus prædicatis unum ſubjecto convenire affirmatur, non tamen determinatur, quodnam ex illis*. Ejuſmodi propoſitio eſt, qua dicimus: *Animal eſt aut homo, aut brutum*.

SCH. Vel ex allato exemplo apparet, ad rectam informationem propoſitionum disjunctivarum valere poſſe, ac debere, quæ de diviſione monuimus.

87. In propoſitionibus formandis ſæpe numero determinatur modus, quo prædicatum ſubjecto conveniat, vel non conveniat. Dicuntur ejuſmodi propoſitiones *Modales*.

SCH. Quatuor paſſim cenſentur modi 1. Neceſſe eſt. 2. Contingit. 3. Poſſibile eſt. 4. Impoſſibile eſt. E. g. Neceſſe eſt hominem eſſe animal. Contingit homines falſa proferre. Poſſibile eſt Titium fieri doctum. Impoſſibile eſt DEUM decipere.

88. Adhuc conſiderandas ſe offerunt propoſitiones dici ſolitæ *Exponibiles*, quod per alias propoſitiones, propter eam, quam ratione particularum aliquarum difficultatem, & ſenſus multiplicitatem involvunt, exponi exigant. Sunt autem 1. *Excluſivæ*, 2. *Exceptivæ*, 3. *Reſtrictivæ*, 4. *Comparativæ*, de quibus coram.

SCH. Hæc ſatis de propoſitionum differentia ex occaſione quæſtionis: Quæ ſit propoſitio? *De propoſitione affirmante, vel negante porro jam actum eſt. Supereſt, ut ad judiciorum, & propoſitionum univerſalitatem, particularitatem, & ſingularitatem convertamur*.

89. Judicium *ſingulare* eſt, *cujus ſubjectum eſt individuum*; propoſitio vero *ſingularis*, *cujus terminus ſubjectum denotans eſt ſingularis*. Judicium,

quo

quo cogito, Petrum eſſe ſcribentem, eſt ſingulare; itemque propoſitio hæc ſingularis eſt: *Petrus eſt ſcribens.*

90. Quoties aliquid tanquam prædicatum alteri tanquam ſubjecto convenit, vel repugnat, ratio ſemper ſubeſt, cur conveniat, vel repugnet: ſi hæc ratio in ipſo ſubjecto continetur, prædicatum omnibus entibus ejuſdem claſſis, *generis* puta, vel *ſpeciei* convenit, vel repugnat. E. g. in hoc judicio, quo affirmo, *Corpus eſſe diviſibile*, ratio, cur diviſibilitas corpori conveniat, in ipſo corpore continetur; hinc dicimus, diviſibilitatem omnibus ſimpliciter corporibus convenire. Hujuſmodi judicium vocatur *univerſale*.

91. Si vero ratio, cur prædicatum conveniat, vel repugnet ſubjecto, in aliquo extra ſubjectum continetur, prædicatum non convenit, vel repugnat omnibus entibus ejuſdem claſſis. E. g. cum dicitur: *Lapis eſt calidus*, ratio, cur lapidi conveniat calor, non in ipſo lapide, ſed e. g. in radiis Solis, quibus is expoſitus fuit, continetur; hinc dicimus, calorem non convenire omnibus lapidibus. Judicium, *in quo, cur prædicatum ſubjecto conveniat, ratio extra ſubjectum continetur, particulare* appellatur.

92. Ex judicio particulari fieri poteſt univerſale, ſi illud extrinſecum, quod rationem convenientiæ, vel repugnantiæ continet, ſubjecto tanquam conditio adjiciatur: dum namque ita judicas: *Lapis, ſi radiis Solis expoſitus eſt, eſt calidus*, judicium formas univerſale; omnibus enim lapidibus ſub ea conditione convenit eſſe calidos; eſtque quodam modo perinde, ac ſi ratio, cur prædicatum ſubjecto conveniat, in ipſo ſubjecto

contineretur.

93. Propoſitio, *qua judicium univerſale exprimitur*, *univerſalis*; *qua particulare*, *particularis* nuncupatur. Univerſalitatis in propoſitione ſignum eſt vox *Omnis*, vel *Nullus*: particularitatis: *Quidam*, *Aliquis*; quæ ſigna, ſi actu adhibentur, propoſitiones dicuntur *definitæ*; contra, ſi ſupprimuntur, *indefinitæ*.

94. In æſtimanda univerſalitate, vel particularitate occurrentis propoſitionis non præciſe ad ſignum univerſalitatis, vel particularitatis, ſed ad judicium, quod ei reſpondet, advertendum eſt. Dicere namque forte quis poſſet: *Omnes homines ſunt Philoſophi*, *aliqua corpora ſunt diviſibilia*; nec tamen illa propoſitio pro univerſali, nec hæc præciſe pro particulari habenda; illi namque judicium particulare, huic univerſale reſpondet (§. 90. & §. 91.)

95. Si ſubjectum ſub tali notione apprehenditur, vel concipitur, ut in ea ratio, cur prædicatum ſubjecto conveniat, vere exprimatur, judicium formatur *determinatum*; ſecus formatur judicium *vagum*, & *indeterminatum*. Hinc nempe qui lapidem ſub notione eſſentialium conceperit, determinate judicabit, *lapidem eſſe durum*, cum ratio, cur durities lapidi conveniat, vere in eſſentialibus lapidis contineatur: non vero determinate judicabit, *eundem eſſe calidum*, niſi præterea conceperit extrinſecum illud, in quo ratio, cur lapidi calor conveniat, continetur.

96. Inde eſt, quod alia judicia eſſe poſſint *categorica*, alia *hypothetica*. In categorico nempe ſubjectum ſaltem ſub notione ſibi propriarum determinationum ſine extrinſeco quodam concipe-

re

re ſufficit: contra in hypothetico; eidem enim illud extrinſecum adjicitur. Unde etiam in propoſitionibus, quæ idem reſpective cum memoratis judiciis nomen ſortiuntur, prædicatum vel abſolute, ſcilicet in propoſitionibus categoricis, vel ſub adjecta conditione, nempe in hypotheticis, enuntiatur. Abſolute e. g. enuntiamus, *lapidem eſſe durum*; ſub conditione autem, *eundem eſſe calidum*, ſcilicet, ſi fuerit radiis Solis expoſitus.

SCH. Litem nequaquam movemus iis, qui omne judicium categoricum ſimul hypotheticum eſſe, dicique debere volunt ex eo, quod in nullo non judicio ratio, cur prædicatum ſubjecto conveniat, ſubeſſe debeat, quæ ratio hypotheſeos *nomine inſignitur. Patet autem hoc ipſo, judicium categoricum ita e. g. eſſe reſolvendum*: Lapis, ſi lapis eſt, ſive ſi eſſentialia lapidis continet, eſt durus. *Quod tamen certe multo aliud genus hypotheſeos eſt, quam ſi dicitur:* Lapis, ſi eſt Soli expoſitus, eſt calidus. *In priori caſu nempe hypotheſis ſubjecto intrinſeca eſt, in altero extrinſeca.*

97. Propoſitio, *qua judicium determinatum exprimitur*, ipſa quoque *determinata* dicitur. Unde porro relinquitur, in propoſitione determinata ſubjectum exprimi debere per terminum, qui ſignificet notionem exhibentem illud, ex quo intelligi poteſt, cur prædicatum ſubjecto conveniat (§. 95.).

SCH. 1. *Propoſitiones determinatæ e. g. ſunt:* Ens ex partibus compoſitum eſt diviſibile. Homo Philoſophia excultus eſt aptus ad gubernandum *&c.*

SCH. 2. *Poteris quidem dicere*: Lignum eſt diviſibile. Aliquis, *vel etiam* hic homo eſt aptus

ad

ad gubernandum: *ſed ut hæ propoſitiones determinatæ cenſeantur, prius oportet, aut ipſe expoſueris, aut aliunde notum ſcias, per* lignum *ſignificari ens ex partibus compoſitum, per* aliquem, *vel* hunc hominem *intelligi hominem Philoſophia excultum. Exinde vero facile porro diſpicitur, quid, quantumve propoſitiones determinatas formaturi tribuere, deferreque debeant definitionibus nominalibus* (§. 69.), *& recepto terminorum ſignificatui* (§. 40.).

CAPUT II.

De variis affectionibus Judiciorum, & Propoſitionum.

98. PRopoſitiones dicuntur *Æquipollentes, quibus judicia eadem exprimuntur*, ſive quæ eundem ſenſum habent, tametſi non iiſdem vocabulis conſtent. Hujuſmodi primo ſunt illæ, in quarum una definitio de definito, in altera definitum de definitione enuntiatur, ut: *Matheſis eſt ſcientia Quantitatum: Scientia Quantitatum eſt Matheſis*. Secundo, in quibus eidem ſubjecto ſub æquivalentibus conditionibus idem prædicatum tribuitur, ut: *Veritas demonſtrata eſt certa: Veritas methodo mathematica propoſita eſt certa*. Tertio, in quibus non niſi grammaticalis variatio vocum intercedit, ut: *Cajus occidit Sempronium: Sempronius a Cajo occiſus eſt*.

SCH. Veteres Logici omnem fere æquipollentiam per certarum particularum conjunctionem abſolvi putarunt: hinc illi verſus.

Non-

Nonnullus quidam, ſed nullus non valet omnis,
Non quidam nullus, non quidam non valet omnis. (18)

99. Si propoſitio ita mutetur, ut ſubjectum fiat prædicatum, & prædicatum ſubjectum, propoſitio dicitur *Converti*. Illa, *quæ convertitur*, *convertens*, & *quæ ex converſione prodit*, *converſa* prioris appellatur. Converti autem poteſt propoſitio 1. in qua de ſubjecto per eſſentialia definito enuntiatur conveniens attributum: dicere poſſum e. g.: *Corpus, ceu ens compoſitum ex partibus, eſt diviſibile*; & *Diviſibile eſt Corpus*: 2. in qua de ſubjecto per attributa definito enuntiantur reſpondentia eſſentialia: e. g. dici poteſt: *Triangulum æquiangulum eſt triangulum conſtans tribus lateribus æqualibus*: & *Triangulum conſtans tribus lateribus æqualibus eſt æquiangulum*: 3. in qua de ſubjecto per adjectam conditionem *ſpeciatim* reſtricto aliquid affirmatur: e. g. *Si rei cujuſdam notionem claram diſtinctam habemus, eam definire valemus*; propoſitio hæc converti poteſt dicendo: *Si rem definire valeamus, notionem ejus habemus claram diſtinctam*: 4. in qua ſubjecto ſub *unica* conditione aliquid convenit; ut: *Si homo ratione præditus eſt, veritatem aliquam demonſtrare poteſt*; dici viciſſim poteſt: *Si homo veritatem aliquam demonſtrare poteſt, ratione præditus eſt*.

SCH. In allatis converſionum exemplis propoſitiones converſæ eandem quantitatem, & qualitatem cum con-

(18) Æquipollentiæ item regulas veteres Logici hoc verſiculo exponebant:

Præ, contradic: poſt, contra: præ, poſtque, ſubalter;

ideſt, ſi vis reddere propoſitiones æquipollentes, negationem præpone contradictoriis, poſtpone contrariis, præpone, & poſtpone ſubalternis.

convertentibus habent: hujuſmodi converſiones ſimplices *dicuntur. Cenſentur vero aliæ converſionum ſpecies, quarum una* per accidens *compellatur: in hac mutatur quantitas propoſitionum; ut*: Omnis homo eſt animal; Aliquod animal eſt homo: *altera* per contrapoſitionem, *in qua qualitas mutatur manente quantitate; ut*: Aliquis homo non eſt Philoſophus; Aliquid, quod non eſt Philoſophus, eſt homo. (19)

100. Propoſitiones appellantur *Contradictoriæ, in quibus idem eſſe affirmatur, & negatur*; ut: *Petrus eſt Philoſophus*; *Petrus non eſt Philoſophus*. Item: *Omnis homo eſt animal*; *Aliquis homo non eſt animal*.

SCH. 1. *Quod in his propoſitionibus*: Omnis homo eſt animal; Aliquis homo non eſt animal, *ac univerſim in quibuſvis aliis, quarum una parti-*

cu-

---

(19). Neque converſionis regulæ prorſus ſunt omittendæ hiſce verſiculis comprehenſæ:

FEcI ſimpliciter convertitur; *EvA per accid.*;
AſtO per contrap; *ſic fit converſio tota*.

Harum trium vocum *fEcI*, *EvA*, *AſtO*, vocales ſunt adnotandæ; per *E* namque propoſitio univerſalis negativa ſignificatur; per *I* particularis affirmativa; per *A* univerſalis affirmativa; per *O* particularis negativa, ut hi indicant verſiculi:

Aſſerit A, negat E; verum generaliter ambæ:
Aſſerit I, negat O; ſed particulariter ambæ.

Jamvero priorum carminum ſenſus eſt, quod univerſalis propoſitio negativa & particularis affirmativa, quæ deſignantur per *E*, & *I* in voce *fEcI*, convertuntur ſimpliciter: at vero univerſalis negativa, & univerſalis affirmativa deſignatæ per *E*, & *A* in voce *EvA* convertuntur per accidens: demum univerſalis affirmativa, & particularis negativa per *A*, & *O* deſignatæ in voce *AſtO* convertuntur per contrapoſitionem.

culariter negatur, quod altera univerſaliter affirmatur, vel viciſſim, re ipſa idem eſſe affirmetur, ac negetur, hic oſtendere non vacat; oſtendetur tamen, & demonſtrabitur ſuo loco.

SCH. 2. Præter propoſitiones contradictorias ſunt propoſitiones Contrariæ, Subcontrariæ, *&* Subalternæ, *quas etiam communi nomine* Oppoſitas *vocant. De his vero nihil porro adferimus, quod nullius pene uſus ſunt.*

SECTIO IV.

De Ratiocinio, ſive Diſcurſu.

CAPUT I.

De Syllogiſmo.

101. RAtiocinamur, dum ex duobus judiciis communem notionem habentibus tertium elicimus (§. 17.); experientia vero exploratum habemus id quatuor modis fieri. I. Judicamus rei cuidam nobis oblatæ notas convenire, quæ ad notionem ſpeciei certæ, vel generis pertinent; tum animum ſubit, tali ſpeciei, vel generi hoc, vel illud nomen convenire; itaque & oblatæ illi rei hoc nomen, quodque per illud ſignificatur, tribuimus. E. g. Judicamus: *Hæc nobis propoſita figura habet tria latera:* tum in mentem venit: *Hujus ſpeciei figura eſt Triangulum:* concludimus: *Itaque hæc figura eſt Triangulum.* II. Rem quamdam ad hanc, vel illam ſpeciem, aut genus pertinere cognoſcimus; tum meminimus,

mus, quod hujus, vel illius ſpeciei, aut generis entibus conſtanter hæc, vel illa conveniant; ſtatuimus: ergo, rei illi hæc, vel iſta etiam conveniunt. E. g. Agnoſcimus ſtellam, quam *Venerem* vocant, *ad ſpeciem* ſtellarum erraticarum, ſeu *Planetarum pertinere*: tum ſubit: *Planetæ in ſyſtemate Copernicano ſunt corpora opaca*: arguimus: *ergo Venus eſt corpus opacum*. III. Judicamus rem quamdam notis carere, quæ ad certam ſpeciem, vel genus pertinent; tum occurrit, iis, quæ his notis carent, nomen certum non convenire; proinde etiam a re nobis propoſita nomen, & quod per illud ſignificatur, removemus. E. g. Judicamus, *lapidem non ſentire*: tum occurrit: *quod non ſentit, non eſt animal*: inferimus: *ergo lapis non eſt animal*. IV. Agnoſcimus rem quamdam ad hanc, vel illam ſpeciem, aut genus ſpectare; tum advertimus, quod huic, vel illi ſpeciei, aut generi hæc, vel illa non conveniant; cogitamus itaque etiam rei oblatæ, hæc, vel illa non convenire. E. g. Agnoſcimus *animam humanam ad ſpeciem ſpirituum ſpectare*: tum advertimus, *quod ſpiritibus non conveniat replere ſpatium*: hinc cogitamus, *etiam animæ humanæ non convenire ſpatium replere*.

102. *Syllogiſmus* eſt *oratio, qua ratiocinium exprimitur*; vel potius: ſyllogiſmus eſt *ratiocinium verbis expreſſum*. Ex hoc autem conſequens fit: *Syllogiſmum tribus conſtare propoſitionibus, quarum duæ communem habent terminum, in tertia vero duo termini in prioribus diverſi combinantur*.

SCH. Ratiocinium nempe, ut ex ejus natura, aſſignatiſque ratiocinandi modis ſatis liquet, tribus judiciis conſtat, quorum duo communem notionem habent,

in

in tertio vero duæ notiones in prioribus diverſæ conjunguntur : cum igitur per ſyllogiſmum exprimendum ſit ratiocinium , id aliter fieri non poterit , niſi pro duobus judiciis communem notionem habentibus exprimendis duæ propoſitiones communem terminum habentes , ac pro tertio judicio , quo duæ diverſæ notiones conjunguntur , tertia propoſitio , qua diverſi termini combinantur , fuerint adhibitæ .

103. SYLLOGISMUS NON NISI TRIBUS TERMINIS DIVERSIS CONSTARE POTEST . Syllogiſmus ex natura ratiocinii , quod exprimere debet , tribus propoſitionibus conſtat (§. præc.) ; harum autem duæ unum terminum habent communem, atque in tertia iidem termini , qui in prioribus fuere diverſi, combinandi ſunt (§. eodem) ; itaque præter duos terminos in duabus propoſitionibus diverſos, & unum communem , nullus alius in ſyllogiſmo locum habere poteſt: non niſi tribus proinde is terminis conſtare poteſt.

SCH. Non paucioribus etiam ſyllogiſmum , quam tribus poſſe conſtare terminis , pariter ex natura ratiocinii facile quiſque diſpexerit .

104. *Duæ illæ propoſitiones , quæ terminum unum habent communem* , ſeu ex quibus tertia formatur, *Præmiſſæ* , vel *Sumptiones ; Tertia , quæ ex illis formatur , Concluſio* appellatur ; *ipſa vero formatio* hujus *tertiæ propoſitionis Illatio* ſalutatur.

SCH. Quod nobis Concluſio , aliis etiam Conſequens *audit , quodque nos Illationem , alii etiam* Conſequentiam *vocant* . (20)

105.

(20) Patet heinc cur ſcholaſticis in Diſputationibus *Conſequens* , non vero *Conſequentia* diſtinguatur ; conſequens enim , ſeu concluſio eſt propoſitio ex aliis deducta ,

105. *Termini in præmiſſis diverſi*, *Extremi* ; *qui* vero *communis eſt*, *Medius* appellatur . Ex dictis adeo (§. 102.) relinquitur, *in concluſione non niſi terminis extremis locum eſſe poſſe*; quorum quidem unus audit *Major*, ſcilicet, *qui vicem prædicati*, alter *Minor*, *qui vicem ſubjecti ſubit in concluſione* .

106. Etiam præmiſſarum una dicitur *Major*, altera *Minor* . Major quidem, *in qua terminus major cum termino medio*; minor, *in qua terminus minor cum termino medio combinatur*.

107. Si concluſio eſt propoſitio affirmativa, ipſe ſyllogiſmus *Affirmativus* dicitur ; atque ita porro concluſio negativa ſyllogiſmum *Negativum*; concluſio univerſalis ſyllogiſmum *Univerſalem* ; concluſio denique particularis ſyllogiſmum *Particularem* conſtituit.

108. Qui ad modos ratiocinandi §. 101. recenſitos rite attendit, haud difficulter obſervare poteſt, eos quibusdam poſitionibus niti, quas nemo non admittere debet ; ſuntque ſequentes :

I. Quod convenit omni ſpeciei, vel generi, etiam cuivis ſub eis contento convenit.

II. Cui convenit definitio, ei etiam convenit definitum, & viciſſim.

Quibus quidem propoſitionibus pervulgatum illud *Dictum de omni* comprehenditur.

III. Quod repugnat, ſive non convenit omni ſpeciei, vel

---

ta, quæ uno poteſt ſenſu vera eſſe, & altero falſa; atque adeo poteſt diſtingui: conſequentia vero, ſeu illatio non eſt niſi ipſa deductio, quæ poteſt eſſe bona, vel mala, non tamen vera, vel falſa; & ideo concedi debet, ſi bona; negari, ſi mala; numquam vero diſtingui.

vel generi, etiam cuivis ſub iis contento repugnat, ſive non convenit.

IV. Cui non convenit definitio, ei etiam definitum non convenit, & viciſſim.

Quæ propoſitiones *Dictum de nullo* abſolvunt.

109. Sunt proinde *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo fundamenta quorumvis ſyllogiſmorum*; vel potius: *Syllogiſmus quivis non eſt niſi actualis ad caſum oblatum Dicti de omni, aut nullo applicatio*: ut adeo jam clarum ſit, orationem, in qua memoratorum fundamentorum ratio non habetur, aut plane non, aut certe vitioſum fore ſyllogiſmum.

110. In applicatione *Dicti de omni* neceſſario hæc occurrunt: 1. de omni ſpecie, vel genere, hoc eſt univerſaliter, aliquid affirmatur: 2. affirmatur aliquid ſub ea ſpecie, vel ſub eo genere contineri: 3. de hoc, quod ſub ſpecie, vel genere continetur, idem affirmatur, quod de ſpecie, vel genere affirmatum eſt.

Similiter in applicatione *Dicti de nullo* indiſpenſabiliter iſta locum habent: 1. de omni ſpecie, vel genere, hoc eſt univerſaliter, aliquid negatur: 2. affirmatur aliquid ſub ea ſpecie, vel ſub eo genere contineri: 3. de hoc, quod ſub ſpecie, vel genere comprehenditur, idem negatur, quod de ſpecie, vel genere negatum eſt.

111. Exinde conſectariorum inſtar ſequentia fluunt.

I. In nullo ſyllogiſmo utraque præmiſſa particularis eſſe poteſt, ſed una minimum univerſalis ſit oportet.

II. Neque utraque poteſt negativa eſſe.

III. Si una præmiſſarum in ſyllogiſmo eſt negativa,

etiam concluſio negativa ſequitur; ſi una præmiſſarum eſt particularis, etiam concluſio particularis ſequitur.

IV. In concluſione non poteſt locus eſſe termino, qui in præmiſſis ſemel cum termino medio, ſive communi non fuerit combinatus.

SCH. 1. *Præmiſſa negativa, itemque particularis, communi nomine* Pars debilior *appellantur. Hinc dici ſolet*: Concluſio ſequitur partem debiliorem.

SCH. 2. *Vitioſi ſunt ergo ſyllogiſmi hujuſmodi*: Aliquod metallum eſt aurum: argentum eſt aliquod metallum: ergo argentum eſt aurum: *eſt enim utraque præmiſſa particularis. Item*: Nullus Angelus eſt mortalis: nullus homo eſt Angelus: ergo nullus homo eſt mortalis: *eſt namque utraque præmiſſa negativa. Item*: Omnes pii ſalvantur: aliqui homines ſunt pii: ergo omnes homines ſalvantur: *cum enim una præmiſſarum ſit particularis, concluſio univerſalis ſequi non poteſt.*

SCH. 3. *Eſt genus ſyllogiſmorum, in quo nulla præmiſſarum univerſalis, ſed utraque ſingularis eſt; neque tamen ejuſmodi ſyllogiſmi pro vitioſis habentur. Vocantur illi* Expoſitorii, *conſtantque meris propoſitionibus* propriis, *hoc eſt talibus, in quibus prædicatum huic unice ſubjecto, prætereaque nulli alteri convenit. Enimvero cum prædicatum, quod uni alicui ſubjecto ſolummodo convenit, vicem definitionis ſupplere cenſeri poſſit; propoſitio autem, in qua de ſubjecto definitio prædicatur ad* dictum de omni *pertineat, conſequenter univerſalis ſit; patet, dici poſſe,* propoſitionem propriam, ſaltem æquivalenter, univerſalem eſſe: *proinde non ſimpliciter receditur a lege ſtatuta in hoc e. g. ſyllogiſmo*: David eſt auctor

ctor Pſalmorum : ſed auctor Pſalmorum occidit Goliathum : ergo David occidit Goliathum.

CAPUT II.

De Figuris, ac Modis Syllogiſmorum.

112. TAmetſi in quovis legitimo, ac ſincero ſyllogiſmo actualis applicatio *Dicti de omni*, vel *nullo* contineri debeat, ea tamen varia eſſe poteſt. Varietas hæc proficiſcitur tum a diverſa combinatione, & conſtructione termini medii, ſive communis ſpeciem, vel genus indicantis, tum a quantitate, & qualitate ipſarum propoſitionum, quibus applicatio illa, ſeu ſyllogiſmus abſolvitur. A diverſa combinatione, & conſtructione termini medii ſyllogiſmorum *Figuræ*; a diverſa quantitate, & qualitate propoſitionum eorundem *Modi* originem ducunt.

SCH. In aliquibus ſyllogiſmis applicatio Dicti de omni, vel nullo immediate, ac diſtincte apparet, atque idcirco naturales, *prorſuſque evidentes dicuntur; in aliis modo quodam latet, qui adeo* minus connaturales, *minuſque evidentes recte audiunt.*

113. Quatuor cenſeri poſſunt Figuræ ſyllogiſmorum, cum quatuor diverſis modis terminus medius cum extremis combinari, & conſtrui poſſit : tot præciſe nempe ex doctrina Combinationum mutationes fieri poſſunt circa tres quantitates, quarum una bis ſumi debet.

SCH. En Schema, ubi S *ſubjectum, ſeu terminum minorem*; P *prædicatum, ſeu terminum majorem*;

M *terminum medium, ſive communem indicat.*

M P	*P M*	*M P*	*P M*
S M	*S M*	*M S*	*M S*

114. Ad primam proinde figuram ſyllogiſmos pertinere dicimus, in quibus terminus medius in propoſitione majori eſt ſubjectum, in minori prædicatum. Ad figuram ſecundam referimus ſyllogiſmos, in quorum utraque præmiſſa terminus medius eſt prædicatum. Ad tertiam, in quorum utraque præmiſſa terminus medius eſt ſubjectum. Ad quartam, quam quidem complures miſſam faciunt, tribus allatis ſaltem contenti, referuntur ſyllogiſmi, in quibus terminus medius in majori propoſitione eſt prædicatum, in minori ſubjectum. (21)

115. IN FIGURA PRIMA PROPOSITIO MAJOR SEMPER DEBET ESSE UNIVERSALIS; MINOR VERO SEMPER AFFIRMANS. Nam in figura prima terminus medius agit ſubjectum (§. præc.); vi *Dicti de omni, & nullo* autem propoſitio, in qua terminus medius eſt ſubjectum, ſemper debet eſſe univerſalis (§. 110.): in figura prima proinde propoſitio major debet eſſe univerſalis. Quod erat unum.

Tam in applicatione *Dicti de omni*, quam *Dicti de nullo* una propoſitione affirmari debet, ſubjectum concluſionis, ſeu terminum minorem ſub termino medio, ſive communi comprehendi (§. 110.); id vero cum in figura prima non fiat in majo-

---

(21) Syllogiſmorum figuræ tres ſequenti deſignantur verſiculo:

Sub. Præ. prima; ſed altera bis Præ.; tertia bis Sub.

Senſus eſt. In prima figura medium ſubjicitur in majori, prædicatur in minori: in ſecunda figura medium in utraque præmiſſa prædicatur: in tertia figura medium in utraque præmiſſa ſubjicitur.

majori propoſitione, quippe in qua prædicatum concluſionis, ſeu terminus major cum medio conſtruitur, in minori fieri debet : hæc adeo affirmans eſſe debet. Quod erat alterum.

SCH. Nonnunquam in ſyllogiſmo primæ figuræ minor propoſitio apparet eſſe negans, licet re ipſa non ſit negans, ſed infinitans. E.g. Quod non eſt præditum facultate diſcurrendi non eſt homo : ſed lapis non eſt præditus facultate diſcurrendi : ergo lapis non eſt homo; *minor propoſitio hujus ſyllogiſmi reſolvenda eſt*: ſed lapis eſt tale quid, quod non eſt præditum facultate diſcurrendi. *Accidit hoc, quoties terminus medius eſt negativus.*

116. IN PRIMA FIGURA NON POTEST SEQUI CONCLUSIO UNIVERSALIS, NISI UTRAQUE PRÆMISSA FUERIT UNIVERSALIS; NEC SEQUI POTEST AFFIRMATIVA, NISI UTRAQUE PRÆMISSA FUERIT AFFIRMATIVA. In figura prima propoſitio major ſemper debet eſſe univerſalis (§. præc.); quod ſi propoſitio minor non fuerit univerſalis, ſed particularis, etiam concluſio non niſi particularis ſequi poterit (§. 111.): ut ergo ſequatur univerſalis, utraque præmiſſa ſit univerſalis, eſt neceſſe.

Haud abſimili modo oſtenditur, ut concluſio ſequatur affirmativa, utramque præmiſſam affirmativam debere eſſe. Nam propoſitio minor in prima figura ſemper debet eſſe affirmativa (§. præc.); quod ſi vero ſimul propoſitio major non fuerit affirmativa, ſed negativa, concluſio ſolum negativa ſequi poteſt (§. 111.): ut itaque affirmativa ſequatur, utramque præmiſſam oportet eſſe affirmativam.

117. Itaque ex his porro deducitur: *Si in pri-*

ma figura utraque præmiſſa affirmativa fuerit, & ſimul univerſalis, concluſio ſequetur affirmativa univerſalis. Si utraque univerſalis quidem, ſed una negativa fuerit, concluſio ſequetur negativa univerſalis. Si utraque affirmativa, ſed una particularis, concluſio affirmativa particularis: Si una univerſalis negativa, altera particularis affirmativa, concluſio negativa particularis ſequetur.

118. Attentionem adhibentes ad ea, quæ in quovis ſyllogiſmo ex natura ratiocinii, quod in applicatione *Dicti de omni, vel nullo* ſitum eſt, vel adeſſe, vel abeſſe debent, deprehendimus, *quatuor* præciſe *Modos* ſyllogiſmis primæ figuræ convenire. Eos pridem Philoſophi certis vocibus indigitarunt, in quibus literæ vocales quantitati, & qualitati propoſitionum, quippe a quibus diverſitas modorum pendet, indicandæ deſtinantur. Sunt autem ſequentes:

BArbArA, cElIArEnt, dArII, fErIO.

Vis ſignificandi literarum vocalium hæc eſt:

Aſſerit A, negat E; ſed univerſaliter ambo.
Aſſerit I, negat O; ſed particulariter ambo.

119. Figura ſyllogiſmorum dicitur *Perfecta, in qua omnis generis concluſiones formari poſſunt*: ſunt autem quatuor genera, ad quæ omnes concluſiones revocantur. Primum complectitur concluſiones univerſales affirmativas; alterum univerſales negativas; tertium particulares, vel ſingulares affirmativas; quartum particulares, vel ſingulares negativas.

120. PRIMA FIGURA EST PERFECTA. In ea namque omnis generis concluſiones formari poſſunt (§. 117.): eſt igitur perfecta (§. præc.).

SCH. Nemo proinde inficiari poteſt, figuram primam

ita

ita ſufficere, ut aliis ſimpliciter carere poſſimus: atque inde complures eo adducti ſunt, ut figuram primam ſaltem expoſuiſſe contenti, ab expoſitione reliquarum penitus ſuperſederent. Nos ſane etiam permovemur, ut in illis exponendis quam breviſſimi ſimus. Sunt quatuor modi, qui reſpondent ſyllogiſmis ſecundæ figuræ, exprimunturque his vocibus: cEsArE, cAmEſtrEs, fEſtInO, bArOcO. *Tertiæ figuræ hi ſunt modi:* dArAptI, fElAptOn, dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn. *Quartæ:* bArbArI, cAmEntEs, dImAtIs, fEsApnO, frEsIsOm. *Hæc conſideranti patet primo, figuras has non eſſe perfectas; non enim omnis generis concluſiones in illis formari poſſunt. Secundo eſſe minus connaturales; quia in illis applicatio Dicti de omni, vel nullo non immediate, ac diſtincte apparet. Tertio in ſecunda figura* concluſionem ſemper debere eſſe negativam, *in tertia* ſemper particularem, *in quarta* nunquam poſſe eſſe univerſalem affirmantem. (22)

(22) Generales ſyllogiſmorum regulæ, ut memoria facilius teneantur, his concluſæ ſunt verſibus:

Terminus eſt triplex; medium concluſio vitet;
Hunc ex præmiſſis altera diſtribuat.
Latius & nullam ſumat concluſio vocem,
Quam præmiſſa aliquo ſumpſerit ante loco.
Si præmiſſa ſimul fuit utraque particularis;
Aut utrumque negans, nulla ſequela venit.
Particulare præit, ſequitur concluſio talis;
Ponitur ante negans, clauſula talis erit.

Peculiares autem ſingulis tribus figuris regulæ ſic exprimi conſueverunt:

Pro 1. fig. Sit minor affirmans, nec major ſit ſpecialis.
Pro 2. fig. Una negans præeat, nec major ſit ſpecialis.
Pro 3. fig. Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.

In præmiſſis verſiculis non elegantiam, ſed utilitatem Docti conſiderant.

CAPUT III.

De Syllogiſmis Compoſitis, ac Crypticis.

121. DIcitur ſyllogiſmus *Compoſitus, in quo una, vel plures propoſitiones compoſitæ locum habent*. Speciatim in ſyllogiſmis compoſitis cenſentur ſyllogiſmus *Hypotheticus*, *Disjunctivus*, & *Copulativus*.

122. Syllogiſmus hypotheticus eſt, *in quo propoſitio major eſt hypothetica. E. g. Si Cajus Sempronium diligit, ex ejus proſperitate voluptatem capit: ſed Cajus Sempronium diligit: proinde &c.*

123. Propoſitio hypothetica, ut conſideranti patet, duobus membris conſtat, in uno conditio exprimitur, in altero ipſum prædicatum ſubjecto tribuitur. Illud dicitur *Antecedens*; illud *Conſequens*. Membrum antecedens in allato exemplo eſt: *Si Cajus Sempronium diligit*: conſequens: *ex proſperitate illius voluptatem capit*

124. Membrum ſive antecedens, ſive conſequens *Poni* dicitur, ſi cum affirmatione repetatur: contra *Removeri*, vel *Tolli*, ſi cum negatione repetatur; dum e. g. dico: *Si Cajus Sempronium diligit, ex ejus proſperitate voluptatem capit: ſed Cajus voluptatem capit* &c.; membrum conſequens ponitur: dum vero dico: *Si Cajus Sempronium diligit, ex ejus proſperitate voluptatem capit: ſed Cajus voluptatem non capit*; membrum conſequens removetur, ſive tollitur.

125. SI IN SYLLOGISMO HYPOTHETICO PONITUR ANTE-

ANTECEDENS, PONENDUM EST CONSEQUENS: ET SI TOLLITUR CONSEQUENS, TOLLENDUM EST ANTECEDENS. Nam ſi antecedens ponitur, admittitur, quod ſubjecto ratio ſufficiens inſit, vel adſit, cur ei prædicatum conveniat; admittendum proinde etiam ipſum prædicatum ei convenire. Quod ſi vero, ſublato, vel remoto conſequente, non tollendum antecedens; ponatur iſtud: itaque vi primæ partis etiam conſequens ponendum erit: enimvero per hypotheſim ipſum removetur: removebitur itaque, & ponetur; quod eſt abſurdum.

126. Sublato antecedente univerſim non hoc ipſo tollendum eſſe conſequens, patet exinde, quod etſi ſubjecto alicui ſub una conditione quidpiam non conveniat, convenire tamen eidem ſub alia poſſit. Hinc cum liber e. g. pluribus ex capitibus legenti utilitatem adferre poſſit, male quis arguerit: *Si liber eſt hiſtoricus, cum utilitate legi poteſt: ſed liber non eſt hiſtoricus: ergo cum utilitate legi non poteſt.* Similiter cum idem prædicatum pluribus ſubjectis ſub diverſis conditionibus convenire poſſit, liquet, poſito conſequente, univerſim non hoc ipſo poni antecedens. Hinc etiam perperam argues: *Si lapis cogitat, exiſtit: ſed lapis exiſtit: ergo cogitat.*

127. Ex dictis colligere licet, ad duos modos ſyllogiſmos hypotheticos ſinceros recte revocari, ita videlicet exponendos: I. Si antecedens eſt, conſequens eſt: atqui antecedens eſt: ergo etiam conſequens eſt. E. g. *Si anima humana cogitare poteſt, eſt ens ſimplex: ſed anima humana cogitare poteſt: ergo eſt ens ſimplex.* II. Si antecedens eſt, conſequens eſt: atqui conſequens non eſt: ergo antecedens

cedens non eſt. E. g. *Si Cajus judicat de triangulo, notionem habet trianguli: ſed non habet notionem trianguli: ergo non judicat de triangulo.*

SCH. Sint-ne ſyllogiſmi hypothetici ſinceri, nec ne, optime pateſcit, ſi ex hypotheticis categorici formantur, id quod in Prælectionibus docebitur.

128. Syllogiſmus disjunctivus eſt, *cujus major propoſitio disjunctiva eſt*. Dantur vero præcipue duo modi ſyllogiſmorum disjunctivorum, quorum quidem ratio ex recta informatione propoſitionum disjunctivarum repetitur (Sch. §. 86.). In primo modo: *Membrum unum ponitur, & alterum tollitur*. E. g. *Aut anima humana eſt ens ſimplex, aut ens compoſitum: atqui eſt ens ſimplex: ergo non eſt ens compoſitum*. In ſecundo modo: *Membrum unum tollitur, & alterum ponitur*. E. g. *Aut propoſitio eſt vera, aut falſa: atqui non eſt falſa: ergo eſt vera.*

SCH. Facile ex ejuſmodi ſyllogiſmo disjunctivo formari poteſt ſyllogiſmus ſimplex, ſive categoricus; nempe membrum, quod in propoſitione minori ponitur, vel tollitur, pro medio termino aſſumendo: e. g. Quod eſt ens ſimplex, non eſt ens compoſitum: ſed anima humana eſt ens ſimplex: ergo non eſt ens compoſitum. *Præter allatos modos ſyllogiſmorum disjunctivorum alii dantur, de quibus in Recitationibus.*

129. Quemadmodum illi ſyllogiſmi, in quibus propoſitio major eſt disjunctiva, Disjunctivi dicuntur; ita ſyllogiſmi, *in quibus eadem major propoſitio eſt copulativa*, Copulativi nuncupantur. Modus in ſyllogiſmo copulativo potiſſimum ſequens ſtatuitur: *Si major propoſitio eſt negativa, in minori membrum unum ponitur, ſive affirmatur, in conclu-*

eluſione alterum membrum tollitur, ſeu negatur. E. g. *Nemo ſimul poteſt eſſe ſervus DEI, & ſervus Diaboli: Cajus eſt ſervus DEI: ergo non poteſt eſſe ſimul ſervus Diaboli.*

130. Conduntur non raro ſyllogiſmi, *qui a ſtabilitis regulis, ac legibus diſſentire videntur, re tamen ipſa cum iis conſentiunt;* unde forma ſyllogiſtica non penitus in illis deficit, ſed ſaltem latet; dicuntur adeo *Cryptici.*

131. Multiplici ex capite ſyllogiſmi poſſunt eſſe cryptici. I. *Eſt ſyllogiſmus crypticus, in quo adhibentur termini ſynonimici.* Nam videtur is pluribus, quam tribus terminis conſtare, tametſi re ipſa non conſtet; cum terminorum ſynonimicorum idem ſit ſignificatus. E. g. *Omnis ſervus tenetur hero ſuo obſequi: ſed Cajus eſt famulus: ergo Cajus tenetur hero ſuo obſequi.* II. *Eſt item ſyllogiſmus crypticus, in quo ſigna quantitatis ſupprimuntur.* Nam hoc caſu non apparet, cujus ipſe modi ſit. E. g. *Brutum non eſt ratione præditum: ſed lepus eſt brutum: ergo lepus non eſt ratione præditus.* III. *Eſt demum ſyllogiſmus crypticus, in quo præmiſſæ ſunt oblique univerſales.* Cum enim in præmiſſis oblique univerſalibus ſubjectum in caſu obliquo efferatur, terminus quidam ſubjectum videri poterit, qui ſubjectum non eſt: genuina itaque forma latet. E. g. *In omni ſcientia aſſerta debent demonſtrari: ſed Logica eſt ſcientia: ergo aſſerta in Logica demonſtrari debent.*

132. In ſyllogiſmis crypticis non immerito numerantur *Enthymema, Dilemma, Inductio, Sorites.* Enthymema eſt ſyllogiſmus, *in quo una præmiſſarum, propterea quod indubitate admittenda ſit, omittitur.* E. g. *Petrus eſt homo: ergo Petrus conſtat a-*

nima

nima rationali. Item: *Omnis homo conſtat anima rationali: ergo Petrus conſtat anima rationali.*

133. Quoniam in quovis ſyllogiſmo major propoſitio illa dicitur, in qua prædicatum concluſionis conſtruitur cum medio termino, minor vero, in qua ejuſdem ſubjectum cum eodem medio termino combinatur, qui quidem medius terminus ingredi concluſionem non poteſt; univerſim relinquitur, *in enthymemate, cujus præmiſſa idem ſubjectum habet, quod habet concluſio, deeſſe majorem; ſi vero utrimque idem prædicatum habeatur, deeſſe minorem*. Exempla facile quiſque ſibi formaverit.

134. Itaque patet in enthymemate concluſionem re ipſa ex duabus præmiſſis elici, licet una ſupprimatur. Enimvero datur modus ratiocinandi, in quo alteri præmiſſæ ſimpliciter locus non eſſe videtur: ſolet hodie *Conſequentiæ immediatæ* nomine inſigniri; cujusmodi quidem conſequentiarum immediatarum quatuor genera cenſentur: 1. dum ex propoſitione univerſali ejus particularis infertur: 2. dum alteri propoſitioni æquipollens formatur: 3. dum ex convertente converſam prioris inferimus: 4. dum ex contradictoriis una poſita alteram tollimus, vel una ſublata alteram ponimus. Verum rite, quod eſt, expendentes, deprehendimus, in his etiam conſequentiis immediatis latere formam ſyllogiſticam; reſolvuntur namque in ſyllogiſmos hypotheticos hoc e. g. modo: 1. *Si omnis homo eſt animal, etiam aliquis homo eſt animal: ſed per hypotheſim omnis homo eſt animal: ergo etiam aliquis homo eſt animal.* 2. *Si Cajus occidit Sempronium, Sempronius a Cajo occiſus eſt: ſed Cajus occidit Sempronium: ergo Sempro-*

pronius a Cajo occiſus eſt. 3. *Si omne corpus eſt diviſibile, omne diviſibile eſt corpus: ſed omne corpus eſt diviſibile: ergo omne diviſibile eſt corpus.* 4. *Si omne triangulum conſtat tribus lineis, non poteſt aliquod triangulum non conſtare tribus lineis: ſed omne triangulum conſtat tribus lineis: ergo non poteſt aliquod triangulum non conſtare tribus lineis.* In ſimilibus ſyllogiſmis, qui ex conſequentiis immediatis formantur, vel formari poſſunt, propoſitio major legibus, ac regulis Subalternationis, Æquipollentiæ, Converſionis, & Oppoſitionis nititur; de qua adeo admittenda cum ſatis certi ſimus, ea omiſſa, argumentationem a propoſitione minori ordimur, ex eaque concluſionem formamus.

135. Inductio eſt *modus argumentandi, in quo de ſuperiori affirmatur, vel negatur, quod de inferioribus fuit affirmatum, vel negatum.* Quod ſi omnia, & ſingula inferiora recenſentur, inductio eſt *completa*; ſi vero nonniſi quædam ex illis referuntur, *incompleta*: E. g. inductio completa eſt: *Aer eſt gravis; ignis eſt gravis; aqua eſt gravis; terra eſt gravis: ergo omne elementum eſt grave*: incompleta eſſet ſecundum complures e. g. *Anima humana eſt ſpiritus; Angelus eſt ſpiritus; DEUS eſt ſpiritus: ergo omne ens ſimplex eſt ſpiritus.*

136. Inductio nititur hoc fundamento: *Quidquid de ſingulis ſub ſpecie, vel genere contentis affirmatur, vel negatur, etiam de omni ſpecie, vel genere affirmari, aut negari poteſt.* Quod ipſum quidem ſic oſtendi poteſt: quod de ſingulis prædicatur, id propter aliquid ſingulis commune prædicatur, hoc eſt, propter tale quidpiam, quod in notione ſpeciei, vel generis continetur; itaque de ipſa etiam ſpecie, vel genere idem prædicari po-

poteſt. Exinde porro deducitur, *inductionem legitimam cenſeri non poſſe, ſi vel unum ex inferioribus aſſignari poteſt, cui, quod cæteris tribuitur, non convenit.*

137. Dilemma eſt *ſyllogiſmus hypotheticus, cujus membrum conſequens eſt propoſitio disjuncta, & totum tollitur.* E. g. *Si anima humana interit, aut diſſolvitur, aut in nihilum abit: ſed neque diſſolvitur, neque in nihilum abit: ergo anima humana non interit.*

SCH. Ex dictis de ſyllogiſmo hypothetico in modo tollente, ad quem dilemma ſpectare dicimus, intelligetur, concluſionem dilemmatis fore negativam, ſi membrum antecedens propoſitionis majoris fuerit affirmativum, ut in exemplo allato: contra fore affirmativam, ſi membrum antecedens propoſitionis majoris fuerit negativum. Sic non raro Mathematici argumentantur: Si quantitas propoſita alteri non eſt æqualis, erit vel major, vel minor: ſed neque major eſt, neque minor altera: ergo eſt illi æqualis.

138. Sorites dicitur *illud genus ratiocinandi, in quo ex pluribus propoſitionibus, quarum præcedentis prædicatum proxime ſequentis ſubjectum fit, concluſio formatur.* E. g. *Mundus eſt ens compoſitum; ens compoſitum eſt contingens; ens contingens exiſtentiam habere debet ab alio: ergo mundus exiſtentiam ſuam habere debet ab alio.*

SCH. 1. Sorites poteſt eſſe vel categoricus, vel hypotheticus; poteſt item ex multiplici capite eſſe crypticus. Exempla in Recitationibus adferentur.

SCH. 2. Alius Sorites eſt, quem Veteres argumentationem fallacem *merito vocabant; cum nempe mutatim, ac gradatim ſemper aliquid additur, vel demi-*

demitur, ut tandem aliquid manifeſte abſurdum, ac inconveniens concedere compellamur. E. g. Cajus, cui non niſi duo obuli ſuppetunt, re vera pauper dicendus eſt; quod ſi Sempronius non niſi uno obulo locupletior, quam Cajus, fuerit, propter diſcrimen non obſervabile, etiam is pauper æque, ac Cajus, dicendus videbitur. Sed enim ita progrediendo etiam unum aliquem, cui ſat nummorum fuerit, pauperem dicere compellemur: fallax ergo merito ejuſmodi argumentatio cenſetur.

139. Sorites modo quidem amplior, modo conſtrictior eſt. Univerſim certum eſt, tot ex ſorite formari poſſe ſyllogiſmos, quot in eo termini a concluſione exulantes reperiuntur: ex reſolutione autem ſoritis facillimo negotio intelligetur recte ſtatui: I. *In ſorite omnes propoſitiones, quæ inter primam, & ultimam intercedunt, ſint univerſales.* Hinc male argumentaberis: *Omnis lapis eſt ens compoſitum: omne ens compoſitum eſt contingens: quoddam contingens cogitat: ergo quidam lapis cogitat.* II. *Omnes præmiſſæ ſint in ſorite affirmativæ, excepta ultima, quæ negativa eſſe poteſt.* Unde vitioſus erit ſorites: *Omne quod conſtat corpore, & anima, eſt homo: nullus homo eſt lapis: nullus lapis cogitat: ergo nullus homo cogitat.*

CAPUT IV.

De Ratiocinio Polyſyllogiſtico, Probatione, & Propoſitionibus probationem reſpuentibus.

140. RAtiocinio utimur, cum convenientiam prædicati cum ſubjecto, non immediate, ſeu

ſeu ex intuitu idearum cognoſcimus, quam adeo, inſtituendo comparationem cum alia tertia idea, detegere ſatagimus. Enimvero cum ſæpe una aliqua tertia idea non ſufficiat ad hanc convenientiam ſatis agnoſcendam, ea altius repetenda eſt. Naſcitur inde *Ratiocinatio polyſyllogiſtica, ſeu ſeries plurium ſyllogiſmorum, in quibus concluſio antecedentis ſyllogiſmi fit præmiſſa proxime ſequentis.* Solent ſyllogiſmi ſic diſpoſiti dici *Concatenati.*

SCH. E. g. Affirmaturus aerem eſſe gravem hoc ratiocinio polyſyllogiſtico recte utetur: 1. Quod corpus ſibi ſubjectum deprimit, tendit deorſum: ſed aer corpus ſibi ſubjectum deprimit: ergo aer tendit deorſum. 2. Quod tendit deorſum, eſt grave: ſed aer tendit deorſum: ergo aer eſt gravis.

141. Syllogiſmus, *cujus concluſio proxime ſequentis præmiſſa fit, Proſyllogiſmus*; alter, *in quo* ſcilicet *hæc præmiſſa reperitur, Epiſyllogiſmus* appellatur. Nonnunquam autem ſyllogiſmis alia argumentandi genera immiſcentur, quo caſu ratiocinatio oritur, quam *mixtim compoſitam* vocant.

142. Quoties in oblato caſu prædicati cum ſubjecto convenientia ex inſtituta comparatione cum aliis ideis eruitur, ſive, quod in idem recidit, dum propoſitio una aliqua ex aliis tanquam notioribus deducitur, ſeu id fiat unico ſyllogiſmo, ſeu pluribus, propoſirio dicitur *Probari.* In ſpecie autem appellatur *Probatio ſimplex, quæ uno ſyllogiſmo; compoſita, quæ pluribus abſolvitur.*

143. Rem accurate conſiderantes dicendum colligimus, non niſi unicum genus propoſitionum dari, quæ probationem reſpuant: hæ vocantur *Identicæ*, ſuntque illæ, *in quibus idem de ſe ipſo affirmatur.* E. g. *Homo eſt homo.*

SCH.

SCH. Nempe cum in propoſitione identica prædicatum ſit idem cum ſubjecto, idem autem ſibi ipſi ſemper conveniat, in ejuſmodi propoſitione prædicatum convenire ſubjecto ſine omni comparatione ſatis intelligitur.

144. Definitio nominalis eſt eadem cum termino definito (§. 60.): quod ſi igitur definitio de definito prædicata fuerit, perinde erit, ac ſi definitum de definito fuerit prædicatum. Enimvero ſi definitum de ſe ipſo prædicaveris, propoſitio erit identica; itaque etiam propoſitio identica cenſeri poterit, in qua definitionem de definito prædicaveris. Hinc vero inferre porro licet: *Propoſitionem, in qua definitio de definito prædicatur, vel viciſſim, probationi etiam non ſubjacere* (§. præced.).

145. Sunt propoſitiones in Matheſi præſertim uſitatæ, quæ *Axiomata* appellantur, ſuntque ex ipſorum Mathematicorum præſcripto illæ, *in quibus de ſubjecto aliquid affirmatur, quod ex unica ipſius definitione immediate profluit, aut quod certe ſpectato ſignificatu a ſubjecto nequaquam differt*: quoniam itaque & hujuſmodi propoſitiones a propoſitionibus identicis non abhorrent, jam patet, cur etiam, & in quantum, ipſæ a probatione exemtæ dici poſſint.

SCH. Multæ propoſitiones pro axiomatis venduntur, quæ tamen in axiomatum numero haberi nequaquam merentur; probationis adeo ſæpe maxime indigæ. Exempla per decurſum ſat multa ſe offerent.

146. Adhuc propoſitiones affirmativas adduximus, quæ probationi non ſubjacent. Quod ſi ex propoſitionibus identicis, de qualibus locuti ſumus, formaveris negativas affirmativis æquivalen-

tes, intelligere poteris, cujuſmodi propoſitiones negativæ inter probationi non ſubjectas ſint referendæ.

147. Probatio, in qua præmiſſæ non ſunt, niſi propoſitiones identicæ, vel definitiones, aut axiomata, *Demonſtratio* audit, ipſaque propoſitio, quæ ſic probatur, *demonſtrari* dicitur; ſalutatur vero etiam demonſtratio illa *probatio, cujus præmiſſæ ſunt propoſitiones demonſtratæ.*

148. Haud immerito quæritur: Demonſtrationis-ne nomine jure inſignienda probatio, in qua præmiſſarum una, vel plures ſunt propoſitiones experientiam ſeu externam, ſeu internam exprimentes? In id autem paullo inferius inveſtigaturi ſumus.

149. Demonſtrationes vero dicendæ non ſunt illæ probationes, in quarum præmiſſis propoſitiones identicæ, vel definitiones, & axiomata, aut propoſitiones demonſtratæ, vel his æquivalentes deſiderantur, quocunque tandem nomine illæ fuerint compellandæ. Univerſim autem de propoſitione probata ex natura probationis ſtatuendum venit; *in ea convenientiam prædicati cum ſubjecto pendere tum a convenientia prædicati cum ſubjecto in præmiſſis, tum a recta terminorum, ac propoſitionum, quibus probatio abſolvitur, diſpoſitione.*

LO-

LOGICÆ
PARS POSTERIOR PRACTICA.

De Veritate dijudicanda, invenienda, ac cum aliis communicanda.

IN veritatis cognitione, atque assecutione omnis mentis nostræ perfectio sita est: ejus proinde gratia Pars hæc altera Logicæ constituitur, in qua ea, quæ ad verum tum discernendum, ac dijudicandum, tum inveniendum, atque cum aliis communicandum utilissima visa fuerint, quam fieri poterit maxima claritate exponentur.

SECTIO I.

De Vero a Falso, certoque a non certo discernendo.

CAPUT I.

De Veritate, & Falsitate, earumque Criterio.

150. DUm judicando duas notiones conjungimus, vel huic conjunctioni notionum re-

ſpondet realis objectorum conjunctio, vel non reſpondet : in priori caſu judicium dicitur *verum*, in poſteriore *falſum*. Hinc eſt, quod *Veritas* paſſim audiat *Conſenſus judicii cum objecto*; *falſitas* vero *diſſenſus*.

SCH. 1. *Affirmantes* e.g. lapidem eſſe durum, *judicium verum formamus, cum durities re ipſa cum lapide conjuncta ſit: contra falſum formamus judicium affirmantes* lapidem eſſe cogitantem, *cum cogitatio nequaquam in lapide re ipſa locum habeat.*

SCH. 2. *Veritas hæc* logica *appellatur: alia eſt* metaphyſica, *ſive* realis, *de qua ſubinde in Ontologia*; *alia* moralis, *de qua in Ethica.* (23)

151. Fieri non poteſt, ut cum aliqua in mente conjunguntur, huic conjunctioni mentali reſpondeat conjunctio realis objectorum, & ſimul etiam non reſpondeat (per princip. Ontol.) : hinc nulla ratione poſſibile eſt, ut idem judicium ſimul ſit verum, & falſum. Quoniam tamen neceſſario cuivis conjunctioni mentali vel reſpondet realis conjunctio objectorum, vel non reſpondet (per ead. Princ.), quodvis judicium vel verum, vel falſum eſt; nec aliquod dari poteſt, quod nec verum, nec falſum ſit.

SCH. Quæritur autem, an judicium, quo notio alicu-

---

(23) Tum judicium, ſive propoſitio interior, cum judicii interioris manifeſtatio, ſive propoſitio exterior, dicuntur vera vel *metaphyſice*, vel *phyſice*, vel *moraliter*. Propoſitio metaphyſice vera illa eſt, quæ ita eſt vera, ut repugnet prorſus eam eſſe falſam. E. g. *Totum eſt ſua parte majus*. Phyſice vera vocatur propoſitio, quæ, ſtantibus naturæ legibus, non poteſt eſſe falſa. E. g. *Corpus grave ſibi relictum deorſum ruit*. Moraliter vera eſt illa propoſitio, quæ falſa, ſtantibus naturæ legibus, eſſe poteſt. E. g. *Romam exiſtere* nobis moraliter eſt certum.

licujus, quod deinceps futurum eſt, cum altera conjungitur, eo tempore, quo judicium formatur, verum, vel falſum dici queat? Hujus autem deciſionem Recitationibus reſervamus. (24)

(24) Indicat Auctor celebrem illam quæſtionem, utrum ex duabus propoſitionibus invicem contradictoriis de futuro aliquo contingente libero una determinate ſit vera, & altera falſa? circa quam aliqua prænotare non erit inutile.

1. Agitur de alterutra propoſitionum contradictoriarum; ambas enim ſimul ſumptas contradictorias propoſitionem disjunctivam continere conſtat, quæ neceſſario ſemper eſt vera. Propoſitiones iſtæ e. g. *Cras pluet*; *cras non pluet* continent iſtam: *Cras vel pluet, vel non pluet*, quæ quidem neceſſario eſt vera; neceſſario quippe innititur principio: *Nequit idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

2. Sermo item eſt de propoſitionum, quæ ſint de futuro, veritate, aut falſitate; ſi enim ſint de præterito, aut de præſenti, dubium eſſe nequit, quin determinate aut veræ, aut falſæ eſſe debeant; quum objectum, ex cujus determinatione illarum oritur veritas, vel falſitas, ſit undecunque determinatum.

3. Difficultas eſt autem de futuris contingentibus ſive liberis, ſive naturalibus; ſunt enim futura quædam neceſſaria, habentque propoſitiones illa exprimentes veritatem procul dubio determinatam, & quidem neceſſariam. Hæc e. g. propoſitio: *DEUS erit ſemper juſtus*, neceſſario eſt vera, ejuſque contradictoria neceſſario falſa.

4. Non ſit vero quæſtio, niſi de determinata propoſitionum veritate, aut falſitate; veras enim, aut falſas eſſe indeterminate, ut loquuntur, nemo eſt qui ignoret.

5. Propoſitiones, quæ futurum enuntiant objectum, vel illud *abſolute* enuntiant futurum, vel *conditionate* tantum. E. g. *Petrus convertetur* eſt propoſitio Petri converſionem enuntians abſolute futuram: hæc alia: *Si Petrus audierit concionem, convertetur*, propoſitio eſt enuntians Petri converſionem conditionate futuram. Futurum abſolute dicitur quod aliquando vere erit; ſive

de

152. Quoniam illud, de quo aliquid affirmamus, ſubjectum; id autem, quod affirmatur, prædicatum nominatur, liquet porro, propoſitionem affirmativam fore *veram*, *ſi prædicatum ipſi*

---

de quo aliquando verum erit dicere: nunc eſt. Futurum conditionate id dicitur, quod, ſi ponatur conditio, erit. Hiſce præmiſſis breviter propoſitæ reſpondetur quæſtioni.

6. Nam ſi loquimur de propoſitionibus contradictoriis circa futura abſoluta; hæc cum ſint ab æterno a DEO determinata, veritatem utique, ſaltem *in cauſa*, habent determinatam, adeoque & propoſitiones illa enuntiantes ſunt determinate veræ, ſi enuntient, ut futurum id, quod eſt a DEO reipſa determinatum; vel determinate falſæ, ſi id, ut futurum enuntient, quod a DEO non eſt determinatum.

7. Quod ſi quis quæſtionem inſtituat de his propoſitionibus in hypotheſi abs divino æterno decreto præſcindente, perinde ac ſi vel puro eventus contingerent caſu, vel tum demum illos DEUS decerneret, cum contingunt; patet primo inutilem prorſus inſtitui quæſtionem, cum in hypotheſi fiat, quæ reipſa nec eſt, nec eſſe poteſt; deinde ex ſolo eventu earum veritatem, vel falſitatem determinatam propoſitionum in hac hypotheſi pendere.

8. Hinc vero, propoſitiones hos eventus enuntiantes ut futuros ſuſpenſas veritatem inter & falſitatem hærere, contendunt aliqui, ita ut alterùtri neutra determinate conveniat, donec illud temporis adveniat momentum, quo ex ſuſpenſione tranſeat eventus ipſe ad determinationem per exiſtentiam, vel non exiſtentiam; hoc enim demum momento & illas propoſitiones arbitrantur determinari, atque verificari, non veras fuiſſe oſtendi; quamvis vi quadam retroceſſiva tunc quodammodo fiat, ut pro toto etiam tempore, vel æternitate antecedente veræ illæ fuerint. Iſtorum ratio eſt, quia ipſe tum primum eo momento determinatur eventus per exiſtentiam, vel non exiſtentiam, cum antea ex hypotheſi fuerit ſemper ſuſpenſus, adque exiſtendum, vel non exiſtendum indeterminatus.

9. Ajunt

ipsi subjecto convenit; *falsam* vero, *si non convenit*. Advertendum autem circa veritatem, & falsitatem propositionis, etiam rationem quantitatis in affirmando habendam esse, ita ut propositio e.

9. Ajunt alii è contra, unam in hac quoque hypothesi contradictoriam determinate esse veram, alteram determinate falsam pro toto tempore, aut præcedente æternitate; quamvis tali dumtaxat eventus determinatur momento per existentiam, vel non existentiam. Licet enim nullum ex hypothesi detur *caussale verificativum*, ut ajunt, nulla scilicet in caussa determinatio ad producendum tali tempore effectum, nullaque adeo pro toto tempore vel præcedente æternitate detur futuritio caussalis: pro tempore tamen a propositione significato datur reipsa formalis illius eventus determinatio per actualem existentiam, vel non existentiam. Propositio enim eventum aliquem enuntians, ut absolute futurum, enuntiat revera, quod, licet tum non existat eventus, cum concipitur, vel ipsa effertur propositio, pro tali tamen existet temporis differentia. Quare cum pro tali temporis differentia vel determinate, & re vera ille existat, vel determinate, & revera non existat; fit hinc consequens, & ipsam propositionem esse determinate veram, vel determinate falsam; suum enim habet, vel non habet formale verificativum determinatum; quod est eventus existentia non *pro nunc*, sed *pro tunc* determinata; quæ quidem existentia non pro nunc, sed pro tunc determinata futuritio quoque dicitur formalis, per quam eventus est, denominaturque futurus pro toto tempore, vel præcedente æternitate. Quare judicium, seu propositio, in qua alicujus notio, quod est futurum, cum altera conjungitur, vera est, dicique potest eo ipso tempore vera, quo eadem formatur propositio, quin ipsum ad verificationem eventum expectare sit opus.

10. Planius hæc, si hujuscemodi de futuro propositiones ad propositiones revocentur de præsenti, intelligentur, dicendo: *Intra totam futurorum temporum collectionem tempus datur aliquod, quo talis res est*: Datur enim revera hoc tempus, vel non; si primum, propositio est determinate vera; si secundum, determinate est falsa.

11. Sunt

g. in caſu univerſalis affirmationis cenſeatur vera, ſi prædicatum univerſaliter ſubjecto convenit; ſecus reputetur falſa.

SCH. Non equidem vera, ſed falſa foret propoſitio,

---

11. Sunt hæc quidem ingenioſe dicta, ac etiam vere: quid tamen in his eſt utilitatis, cum (ex n. 7.) nonniſi in hypotheſi, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt, hæc diſputentur? Utilior ſane illa eſt quæſtio, quæ ſit cauſſa futuritionis ſive abſolutæ, ſive conditionatæ, & an quidpiam eſſe queat futurum, quin illius detur ratio ſufficiens futuritionis? At hæc hujus loci non ſunt: quare ſatis fuerit quædam de propoſitionibus quidpiam ut conditionate futurum enuntiantibus adjicere.

12. Propoſitiones aliquid ut conditionate futurum enuntiantes, vel ut propoſitiones vere conditionales poſſunt ſpectari, & iſtæ ſunt determinate veræ, ſi inter hypotheſim, & conditionatum, ſive inter antecedens, & conſequens detur connexio, ob quam illo dato ponendum ſit & iſtud; ſunt falſæ determinate, ſi ejuſmodi non detur connexio. Cum igitur iſta vel detur connexio, vel non detur, non ſunt propoſitiones iſtæ ſuſpenſæ, ſed determinate veræ, vel determinate falſæ.

13. Vel poſſunt illæ ſpectari propoſitiones non ut vere conditionales, ſed ut unius cum altero ſignificantes coexiſtentiam, vel unius ad alterum ſucceſſionem, & hoc ſenſu ſpectatæ ſunt determinate veræ, ſi detur in cauſſarum complexione ratio, cur poſito antecedente ponatur & conſequens; ſunt determinate falſæ, ſi ea ratio non detur: cumque hæc ratio vel detur, vel non detur, ſunt pariter propoſitiones hujuſmodi determinate veræ, vel determinate falſæ. Quare generatim dicendum eſt, contradictorias omnes propoſitiones etiam de futuro contingente, & libero, ſive abſolute, ſive conditionate futurum in iis enuntietur, determinate eſſe veras, vel determinate falſas eo ipſo, quo formantur tempore.

14. Huic tam generali ſolutioni ne Thomiſtæ quidem repugnant, qui, etſi ſine aliquo DEI decreto nihil eſſe futurum contendant ſive abſolute, ſive conditionate, eademmet tamen de cauſſa eſſe determinate falſas omnes

tio, qua quis affirmaret omnem hominem esse Philosophum, *cum hoc prædicatum non universaliter omni homini conveniat, tametsi aliquibus conveniat.*

153. SI IN NOTIONE SUBJECTI SUFFICIENS RATIO EJUS, QUOD PRÆDICATUR, CONTINETUR, PROPOSITIO EST VERA. Est namque propositio vera, si prædicatum subjecto convenit (§. præc.); quod si vero in notione subjecti ratio sufficiens ejus, quod prædicatur, continetur, prædicatum non potest non convenire subjecto; id quod hoc modo ostenditur: De quovis subjecto prædicantur vel essentialia, vel attributa, vel modi; enimvero dum ponimus in notione subjecti rationem sufficientem ejus, quod prædicatur, contineri, ponimus hoc ipso subjectum suis constare

re

---

mnes propositiones concedunt, quæ aliquod ut futurum enuntiant, si decretum de illius futuritione non detur, seu de existentia futura; veras e contra, si tale detur decretum. Quare cum hoc pariter vel detur, vel non detur decretum, propositiones omnes de futuro, sive absolute, sive conditionate tali, veras etiam per Thomistas determinate, aut determinate esse falsas, fit evidens. Quapropter si propositiones contradictoriæ de futuro etiam contingente, & libero logice tantum spectentur, nec causam inquiramus futuritionis, determinate sunt omnes veræ, vel determinate falsæ.

15. Quod enim ajunt aliqui (ex n. 8.) tum verificari propositiones, cum ponitur eventus, sed veras antea fuisse non ostendi, dici haud recte videtur: tunc enim non verificatur, eventum esse futurum, sed esse præsentem; & propositio enuntians illum esse futurum, hoc ipso vera erat, quod enuntiabat non tunc, cum formata est, eventum esse præsentem, sed nunc, quo tempore reipsa præsens est: *Nullum enim arbitror*, inquit Boethius lib. 5. de Consol. Phil., *esse dicturum, quod, quæ nunc fiunt, antequam fierent, eventura non fuerint.*

re attributis in caſu, quo de eo prædicanda ſunt eſſentialia; item ſuis conſtare eſſentialibus in caſu, quo prædicanda ſunt attributa; ac demum per aliquod extrinſecum ei determinatum quendam ſtatum obtigiſſe in caſu, quo de illo prædicandus eſt certus quidam modus: atqui vero dum ponimus in ente eſſe attributa, conveniunt ei eſſentialia; dumque ponimus in eo eſſe eſſentialia, conveniunt attributa; ac denique dum ponimus illud certo quodam modo determinatum eſſe, convenit ipſi determinatus modus: igitur nullus caſus aſſignari poteſt, in quo prædicatum ſubjecto non conveniat, ſi ejus, quod prædicatur, in notione ſubjecti ratio ſufficiens continetur: atque adeo univerſim recte ſtatuitur, propoſitionem veram eſſe, ſi ejus, quod prædicatur, in notione ſubjecti ſufficiens ratio continetur.

154. Si propoſitio eſt vera, prædicatum ſubjecto convenit (§. 152.): enimvero cum nullum prædicatum ſubjecto conveniat, niſi adſit ratio ſufficiens, cur conveniat, hæc vel continebitur in ſubjecti eſſentialibus, dum prædicantur attributa, vel in attributis, dum prædicantur eſſentialia, vel denique in aliquo extrinſeco, aut modo antecedaneo, dum prædicatur aliquis modus. Exinde autem porro agnoſcimus: *Nullo non caſu de ſe propoſitionis ſubjectum ita concipi poſſe, ut in notione illius ſufficiens ratio, cur prædicatum ſubjecto conveniat, contineatur.*

SCH. Neque itaque propoſitiones, quibus de ſubjecto quodam ſingulari, ſeu individuo modus aliquis enuntiatur, excipiendas judicamus. Etenim etiam in his e. g. propoſitionibus: Petrus ſcribit; Paullus currit, *ſubjectum ſub iis conditionibus adjectis concipere*

pere licet, ex quibus intelligitur, cur prædicatum subjecto conveniat; id quod quidem plurimi, scilicet parum solliciti, ut determinate judicent, non advertunt: adverterunt tamen, quibus scientias, ac disciplinas exactius colere propositum fuit.

155. Atque ex his demum intelligi posse concludimus, propositionem affirmativam eatenus evadere veram, quatenus illa id affirmatur, vel enuntiatur, cujus in notione subjecti sufficiens ratio contineri, vel actu concipitur, vel minimum concipi potest, seu, quod in idem recidit, quatenus prædicatum per notionem subjecti determinabile est. Ut adeo definitionem realem Veritatis habituri simus, si eam per *determinabilitatem prædicati per notionem subjecti* conceperimus.

156. PROPOSITIO AFFIRMATIVA FALSA EST, SI ID, QUOD PRÆDICATUR, NOTIONI SUBJECTI REPUGNAT. Quippe sibi repugnare dicuntur, quæ eidem enti simul inesse nequeunt: quoniam itaque propositio affirmativa falsa est, si prædicatum subjecto non convenit (§. 152.), facile conficitur, id tunc obtinere, quando in subjecto aliquid deprehenditur, cum quo prædicatum eidem subjecto inesse nequit; alias enim potius ei conveniret, quam non conveniret: relinquitur ergo, propositionem affirmativam falsam esse, si prædicatum notioni subjecti repugnat.

SCH. Falsa nempe erit propositio, si e. g. dixeris: Anima humana est divisibilis. *Nam per animam humanam intelligitur ens simplex, sive carens partibus; fieri autem non potest, ut eidem simul insint* simplicitas, *&* divisibilitas; *sicque prædicatum notioni subjecti repugnat. Similiter falsa erit propositio,*

qua

qua affirmabis lapidem aquæ bullienti impoſitum eſſe frigidum, *cum in eodem lapide hæc duo, ſcilicet*, impoſitum eſſe aquæ bullienti, & frigidum eſſe *ſimul locum habere non poſſint*; *ſicque denuo prædicatum notioni ſubjecti repugnat*.

157. Veritas, vel falſitas, proprie loquendo, propoſitionibus non niſi affirmativis respondet; Negativæ enim ſolum ab oppoſitis affirmativis veræ, vel falſæ dicuntur: eſt quippe propoſitio negativa vera, ſi oppoſita illi affirmativa falſa eſt: contra eſt illa falſa, ſi oppoſita ei affirmativa eſt vera; id quod quidem attentionem adferenti nequaquam obſcurum eſſe poteſt: cum enim propoſitione negativa indicemus prædicatum non convenire ſubjecto, vera illa erit, ſi prædicatum notioni ſubjecti repugnat, id quod locum habet in propoſitione affirmativa falſa (§. præc.): contra falſa futura eſt, ſi prædicatum per notionem ſubjecti determinatur, id quod in propoſitione affirmativa vera obtinet. (§. 155.)

158. Notio, *in qua ea conjunguntur, quæ ſimul eidem enti ineſſe poſſunt, dicitur poſſibilis*: contra *impoſſibilis* appellatur, *in qua conjunguntur, quæ ſimul eidem enti ineſſe non poſſunt*.

SCH. Simplicitas *e. g.*, & cogitatio *eidem enti ineſſe poſſunt*; *hinc notio* ſimplicis cogitantis *eſt poſſibilis*. *Non autem poteſt eidem enti ineſſe* ſimplicitas, & diviſibilitas; *hinc notio* ſimplicis diviſibilis *impoſſibilis eſt*.

159. *Conceptibile* appellamus, *quod ſub notione poſſibili menti præſens ſiſtitur, aut ſiſti poteſt; inconceptibile* vero, *quod ita ſiſti non poteſt*. Conceptibile eſt *e. g. ſimplex cogitans*; inconceptibile *ſimplex diviſibile* (§. præc.).

SCH.

SCH. Maximi refert notionem distinctam Conceptibilitatis *habere, seu notas illius nosse: etenim qui notione confusa illius contenti sunt, satis discernere non valent, rem-ne quamdam concipiant, an solum concipere videantur? sive anne notio menti obversans deceptrix sit, nec-ne? Quanti vero momenti sit notionem sinceram a deceptrice internoscere mox clarum, ac perspicuum fiet.*

160. Qui perspicit quomodo prædicatum in oblato casu per notionem subjecti determinetur, ab eo ipsam determinabilitatem prædicati per subjectum cognosci dicimus. Cum autem porro in determinabilitate prædicati per subjectum ipsa veritas constituta sit (§. 155.): consequens fit; *eum, qui determinabilitatem prædicati cognoscit, ipsam propositionis veritatem cognoscere.*

SCH. Qui e. g. intelligit, quo pacto per æqualitatem laterum in triangulo æqualitas angulorum determinetur, veritatem cognoscit hujus propositionis: Triangulum æquilaterum est æquiangulum.

161. DUM CONSTAT SUBJECTO CONVENIRE PRÆDICATUM, CONSTAT HOC IPSO PROPOSITIONEM ESSE VERAM: SED ENIM ETSI CONSTET PROPOSITIONEM ESSE VERAM NON HOC IPSO VERITAS PROPOSITIONIS COGNOSCITUR. Prima hujus propositionis pars satis ex eo patescit, quod propositio sit vera, si in ea prædicatum subjecto convenit (§. 152.): dum ergo ponimus constare, quod prædicatum subjecto conveniat, admittendum hoc ipso, quod constet, propositionem esse veram.

Enimvero ipsa veritas propositionis cognoscitur, si perspiciamus, quo pacto prædicatum per notionem subjecti determinetur; jam vero licet constet propositionem esse veram, non hoc ipso

per-

perſpicimus, quomodo prædicatum per notionem ſubjecti determinetur; ad primum enim ſufficit agnoſcere, quod prædicatum ſubjecto conveniat, licet non agnoſcamus, quid in ſubjecto ſit, propter quod prædicatum eidem convenit; id quod tamen ad alterum requiritur: igitur non hoc ipſo, quod conſtat propoſitionem eſſe veram, ejus veritas cognoſcitur.

SCH. Quid fere apud homines tam frequens, quam ut agnoſcant ſubjecto alicui quidpiam convenire, quin tamen perſpiciant illud, propter quod id ipſum ſubjecto convenit? E. g. agnoſcunt nivem eſſe albam, ignem eſſe calidum, ſaccharum eſſe dulce; *neque tamen intelligunt, quænam ea ſint, per quæ albedo in nive, calor in igne, dulcedo in ſaccharo determinatur. Hinc vero dicendum, quod illis conſtet, veras eſſe propoſitiones iſtas:* Nix eſt alba; Ignis eſt calidus; Saccharum eſt dulce; *veritatem autem ipſam non perſpiciant. Porro etiam ſunt propoſitiones rationi humanæ imperveſtigabiles, quas pro veriſſimis habemus, quin tamen ſatis diſpiciamus, quo pacto in iis prædicatum per notionem ſubjecti determinetur. Conſtat e. g. veriſſimam eſſe hanc propoſitionem:* DEUS eſt trinus: *quæ autem vis intelligendi creata ejuſdem veritatem in ſenſu noſtro perſpexerit?*

162. Per *Veritatis Criterium* intelligitur *illud, ex quo agnoſcere licet propoſitionem eſſe veram*: dici poterit aliud *extrinſecum*, ſcilicet, *quod non ex ipſa propoſitione repetitur*; aliud *intrinſecum*, *quod ipſi propoſitioni ineſſe concipitur*: criterium hoc intrinſecum veritatis recte conſtituitur in *determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti.*

SCH. Equidem cum vox Criterium *univerſim ad ſigni-*

significandum id, ex quo aliquid agnoscimus, adhibeatur, merito in casu particulari agnoscendæ propositionis veræ idem illi significatus tribuitur. Porro cum determinabilitas prædicati per notionem subjecti sit illud, ex quo, tanquam propositioni intrinseco, eandem veram esse agnoscere licet, quippe cum definitionem realem veritatis absolvat, liquet porro, in eadem recte criterium intrinsecum constitui.

163. Ex his adeo relinquitur, intrinsecum criterium veritatis absolvi notis ipsius veritatis, essequehujus notionem distinctam: hinc in usu illius id plane observatur, quod in applicatione *Dicti de omni*, dum scilicet ex notis rei rem ipsam, sive ex definitione definitum eruimus, nunquam non observari solet: argumentamur nimirum ita: *Propositio, cujus prædicatum per notionem subjecti determinatur, est vera: sed hujus propositionis prædicatum per notionem subjecti determinatur: ergo hæc propositio est vera.*

164. Quoniam sicut determinabilitas prædicati per subjecti notionem propositionem constituit veram, ita repugnantia prædicati cum notione subjecti eandem falsam efficit: haud dispar plane fundamentum nanciscimur, *Criterium Falsitatis*, tanquam *illud, ex quo agnosci quolibet casu potest propositionem esse falsam*, statuendi in *repugnantia prædicati cum notione subjecti*. Nec aliud circa hujus criterii usum monendum occurrit, quam quod circa usum criterii veritatis monuimus §. præc.: applicamus scilicet illud ita arguentes: *Propositio, cujus prædicatum subjecti notioni repugnat, est falsa: sed hujus propositionis prædicatum notioni subjecti repugnat: ergo hæc propositio est falsa.*

SCH. Cum propositio negativa sit vera, si opposita

ei

ei affirmativa eſt falſa; per illud ipſum, ex quo propoſitio affirmativa agnoſcitur eſſe falſa, conſtare poterit, propoſitionem negativam eſſe veram: ut adeo criterium veritatis propoſitionis negativæ convenientiſſime idem cenſeatur cum eo, quod eſt falſitatis propoſitionis affirmativæ.

165. QUÆ IN PROPOSITIONE VERA AFFIRMANDO CONJUNGIMUS, EA SUB NOTIONE COMPLEXA POSSIBILI IN MENTE REPRÆSENTARI POSSUNT. Oſtenditur ex eo, quod in propoſitione vera prædicatum per notionem ſubjecti determinetur (§. 155.); inde enim perſpicuum fit, prædicatum cum eo, quod in notione ſubjecti continetur, eidem enti convenire: eſt autem notio, quæ complectitur ea, quæ eidem enti conveniunt, ſeu ſimul ineſſe poſſunt, poſſibilis: igitur, quæ in propoſitione vera affirmando conjungimus, ſub notione complexa poſſibili animo repræſentari poſſunt.

SCH. Eſt e. g. propoſitio vera: Lapis eſt diviſibilis, *in qua diviſibilitas cum lapide conjungitur: dicimus proinde, hæc ſub notione complexa poſſibili animo repræſentari poſſe, ſeu illi propoſitioni reſpondere notionem complexam poſſibilem, ſcilicet:* Lapis diviſibilis; *nam cum diviſibilitas per notionem lapidis determinetur, relinquitur, eidem enti, cui, quod in notione lapidis continetur, ineſt, etiam ineſſe poſſe diviſibilitatem, id quod unice requiritur, ut notio hæc complexa* Lapis diviſibilis *poſſibilis dicatur* (§. 158.).

166. In propoſitione affirmativa falſa prædicatum notioni ſubjecti repugnat (§. 156.); hinc vero conſequens fit, aliquid in notione ſubjecti contineri, cum quo prædicatum eidem enti ſimul ineſſe nequit. Porro docuimus, notionem

in

in qua conjunguntur, quæ ſimul eidem enti ineſſe nequeunt, eſſe impoſſibilem (§. 158.): proinde reliquum fit: *Ea, quæ in propoſitione affirmativa falſa conjunguntur, non niſi ſub notione impoſſibili animo repræſentari poſſe.*

SCH. Falſa eſt e. g. propoſitio: DEUS eſt crudelis, *cum in notione DEI contineantur illa, cum quibus crudelitas eidem enti ineſſe non poteſt. Itaque hæc notio* DEUS crudelis, *quæ illi propoſitioni reſpondet, impoſſibilis omnino dicenda; propterea quod complectatur, quæ eidem enti ineſſe nequeunt* (§. 158.).

167. Quæ ſub notione poſſibili menti præſentia ſiſti poſſunt, conceptibilia dicuntur (§. 159.): contra inconceptibilia audiunt, quæ ita ſiſti non poſſunt (§. eod.). Ex iis adeo, quæ modo ſtabilivimus, nemo non facile intelliget, propoſitionem veram eſſe conceptibilem; falſam vero inconceptibilem: quippe illi notio complexa poſſibilis, huic impoſſibilis reſpondet.

SCH. 1. *Anne igitur pro veritatis criterio intrinſeco ſumere licebit:* Quidquid concipi poteſt, illud verum eſt; quidquid concipi non poteſt, illud eſt falſum?

Equidem ita cenſuit Cel. D. de Tſchirnhauſen in Medic. Ment. Part. 2. *Sect.* 1. *Sumit is nimirum propria cujuſvis experientia ſatis exploratum haberi, quædam poſſe concipi, quædam vero nulla ratione concipi poſſe. Sumit, ajo, hoc propria cujuſvis experientia exploratum haberi; neque vero aliter, quam exemplis caſuum particularium id probat. Exinde autem quiſque cum Cl. Vvolffio haud immerito conjecerit, Virum illum cætera eruditiſſimum in notione confuſa conceptibilitatis acquieviſſe, quippe cujus nullas ſigillatim notas recenſuerit. Atqui paullo ſupra (Sch.*

§. 159.) *monuimus, ſtante notione conceptibilitatis ſolum confuſa, notionem ſinceram a deceptrice ſatis internoſci non poſſe; unde reliquum fit, in illarum propoſitionum applicatione, & uſu facile aberrari poſſe, propterea quod in hujuſmodi argumentatione:* Quidquid concipi poteſt, id verum eſt: ſed hoc, vel illud concipi poteſt: ergo hoc, vel illud verum eſt, *ex defectu notarum conceptibilitatis certi eſſe non valeamus, minus extremum ſub medio termino contineri, ſive* hoc, vel illud vere concipi poſſe.

SCH. 2. *Itaque putamus, ſententiam memorati Cel. Auctoris tuto ſine reſtrictione ſuſtineri non poſſe. Sit propoſitio vera conceptibilis, falſa inconceptibilis; dicendum, nondum recte ſtatui:* Quidquid concipi poteſt id verum eſt; *ſed potius:* Quorum unum per alterum determinatur, id & concipi poteſt, & verum eſt. *Neque autem verendum, ut qui contra ſentiunt, ſatis firma, ac valida argumenta adferre queant, quibus jure ſubſcribendum veniat; nam quamdiu ex natura mentis oſtenſum non fuerit, in ea notiones deceptrices locum habere non poſſe, ſemper exiſtimandum erit, notis opus eſſe, ex quibus & aliquid concipi poſſe, & verum eſſe diſtincte agnoſcamus. Quod ad particularia exempla attinebit, nunquam aliquod adduci poterit, in quo prædicatum per notionem ſubjecti determinari non contingat; unde hæc determinabilitas, non vero aliud quid veritatis criterium abſolvere dicetur.*

SCH. 3. *Haud incongrue hic etiam advertendum, quam fidem, quemve aſſenſum mereantur, qui cum Carteſio veritatis criterium in clara rei idea conſtituunt. Ajo proinde, de hoc criterio Carteſiano non aliud videri debere, quam quod de Tſchirnhauſiano annotavimus: ut enim per conceptibilitatis notionem ſolum*

lum confuſam non excluduntur notiones deceptrices, ita nec per ideam claram excluduntur; & hæc proinde ſufficiens veritatis criterium præbere non poteſt.

168. PROPOSITIO, QUÆ DEMONSTRARI POTEST, VERA EST. Nam propoſitio demonſtrata eſt concluſio, cujus præmiſſæ non ſunt niſi definitiones, & axiomata &c. (§. 147.) : enimvero in tali concluſione prædicatum indubitate per notionem ſubjecti determinatur, conſequenter vera eſt: igitur propoſitio, quæ demonſtrari poteſt, vera eſt.

169. En proinde jam ex parte ſtabilitum, quod ſub principium Logicæ (§. 2.) dicebamus, regulas, quibus naturalis modus cogitandi nititur, nempe regulas definiendi, dividendi, ratiocinandi &c. ipſas eſſe, quibus mens ad verum cognoſcendum dirigitur: cum enim propoſitio vera ſit, quæ demonſtrari poteſt, advertendum modo, in qua propoſitione legitima demonſtratio locum habeat, vel habere poſſit; hoc enim agnito, & propoſitionis veritas agnoſcetur.

170. Etſi quidem veritas, vel falſitas proprie judiciis, & propoſitionibus reſpondet, ad ipſas tamen notiones, & conceptus paſſim etiam extenditur. Nos circa veritatem, vel falſitatem notionum, ac conceptuum ſequentia ducimus adferenda: *Notio vera* dicitur, *quæ repræſentat, quod eſt*, hoc eſt, talia, quæ eidem ſimul ineſſe poſſunt; ſive illa ſit notio ſimplex exhibens ſola eſſentialia (§. 54.), ſive complexa præter eſſentialia etiam exhibens attributum, vel modum: *falſa* contra dicitur, *quæ repræſentat, quod non eſt*, ſeu talia, quæ ſimul eidem ineſſe nequeunt; ſive denuo illa ſit notio ſimplex, ſive complexa.

Brevius. Notio vera dicitur, *quæ eſt poſſibilis*, falſa autem, *quæ impoſſibilis eſt* (§. 158.).

171. Circa falſitatem cumprimis complures equidem haud paullo aliter ſtatuunt; ajunt namque: ſi, oblato e. g. vitro, unio concipitur, vel e contra, falſus erit conceptus; non enim concipitur, quod eſt. Verius dicerent: non concipitur, quod eſſet concipiendum: nam ſive unionem concipias, dum vitrum concipiendum, ſive vitrum, dum re ipſa unio concipienda eſt, ſemper, quod concipis, eſt; cum notio vitri, & unionis poſſibilis ſit; itaque conceptus vitri, ſeu unionis ſemper verus eſt.

SCH. 1. *Sed quid? An non recte conceptus dicendus eſt falſus, quo concipitur, quod non eſſet concipiendum? De voce litigare nolim, dic, per me licet, eſſe falſum; ſed dic etiam conceptum in ordine ad veritatem, vel falſitatem a te aliter conſiderari, quam a me conſideretur; fatere a te conſiderari conceptum reſpectu illius, quod eſſet concipiendum, non quod actu concipitur. Tum lubens admitto, ejuſmodi conceptum, quo loco vitri unio concipitur, viam ad falſum judicium ſternere; falſo namque judicabitur, hoc ens, quod vitrum eſt, unionem eſſe; per id autem minime evincitur, vere vitrum non concipi; ſufficit ad hoc, ut falſum illud judicium formetur, aliud concipi, quam eſſet concipiendum, licet id ipſum vere concipiatur.*

SCH. 2. *Si, cum pingendus eſſet leo, pictus fuerit equus, nihil vetabit hanc imaginem appellare veram, reſpectu ejus, quod actu repræſentat, utcumque quis contenderit reſpectu ejus, quod repræſentare deberet, dicendam eſſe falſam. Hinc ex comparatione imaginis materiatæ cum imagine mentis nihil, quod dicta infringat, deducitur.*

CA-

CAPUT II.

De Certo, Incerto, atque Probabili in genere.

172. EQuidem prædicatum non potest magis, vel minus convenire subjecto, perinde, ut non potest aliquid magis, vel minus æquale alteri esse; atque adeo nec propositio una verior altera esse potest. Enimvero nemo non luculenter intelliget, convenientiam hanc varia prorsus ratione ab intellectu humano per judicia attingi posse; vel enim quis ita agnoscere poterit, prædicatum subjecto convenire, ut intelligat oppositio locum esse non posse, quo quidem casu propositio illi *certa* erit; vel solum ita agnoscet, ut tamen ipsi aliquod de oppositio formidandi argumentum relinquatur, quo casu propositio ipsi *incerta* erit. (25)

173. PROPOSITIO, QUÆ UNI CERTA EST, ALTÆRI INCERTA ESSE POTEST. Colligitur facile ex hoc, quod, cum propositio illi certa dicatur, qui convenientiam prædicati cum subjecto ita agnoscit, ut intelligat, oppositio locum esse non posse, incerta autem ei, qui illam ita non agnoscit (§. præced.)

(25) Triplex vulgo distinguitur *Certitudo*: alia enim dicitur certitudo *subjecti*, ideſt mentis cognoscentis; alia *objecti*, ideſt rei cognitæ; alia *medii*, ideſt argumenti. Certitudo universe spectata, sive subjecto, sive objecto, sive medio conveniat, alia *metaphysica* appellatur, alia *physica*, alia *moralis*, uti dictum est de veritate propositionis in Nota (23). Heic Auctor de certitudine loquitur subjecti.

fieri ſane poterit, ut unus dictam convenientiam dicto modo agnoſcat, alter non agnoſcat: atque adeo unus propoſitionem certam habeat, alter incertam.

174. Quoniam propoſitio vera non poteſt ſimul eſſe falſa, relinquitur utique eum, qui ſufficienter agnoſcit propoſitionem eſſe veram, non habere, cur formidet de oppoſito, ut adeo dici poſſit, propoſitionem nobis fore certam, ſi ſufficienter agnoſcamus, eandem eſſe veram.

175. Propoſitionem agnoſcimus eſſe veram, ſi prædicatum ſubjecto convenire agnoſcimus (§. 161). In propoſitionibus identicis, itemque in iis, in quibus definitio de definito, vel viciſſim, enuntiatur, denique etiam in axiomatis prædicatum ſubjecto convenire ſine probatione oppido agnoſcimus: ſunt proinde propoſitiones identicæ, itemque eæ, quibus definitio de definito, vel viciſſim, enuntiatur, ac denique axiomata propoſitiones nobis certæ.

176. NOTIO COMPLEXA, QUAM, POSITIS OMNIBUS AD SENTIENDUM REQUISITIS, SENSU ACQUIRIMUS, POSSIBILIS EST. Evincitur id ipſum ita: Notiones continentes ea, quæ actu ſimul in eodem ente conjunguntur, ſunt poſſibiles (§. 158): atqui vero, quæ continet notio complexa poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis acquiſitâ, ea actu ſimul in eodem ente conjunguntur (per princ. Pſychol.): proinde notio complexa dicto modo acquiſita eſt poſſibilis.

SCH. 1. *Notio complexa e. g.* Petri ſcribentis, *quam, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, ſenſu acquires, erit poſſibilis; nam re ipſa is homo, quem Petrum dices, ſcribet.*

SCH.

SCH. 2. Nondum fas nobis putavimus ea principia in medium adferre, ex quibus oſtendi poſſit, notiones, quas ſenſuum beneficio, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, anima acquirit, exhibere ea, quæ re ipſa actu ſunt. Equidem ubi in naturam animæ, reſpondenteſque illi facultates inquirendum erit, locus ſimul erit exactiori probationi ejus, quod in Logica interea ſumi poteſt: id quod quidem annotare opus non foret, ſi etiam in Logica methodum ſcientificam pro viribus tenere non ſtatuiſſemus; maxime cum conſtet id ipſum a nemine fere tanquam ſat certum non ſumi.

SCH. 3. Carteſius argumentum a Bonitate divina repetit, ut evincat, notiones, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, ſenſu acquiſitas, menti ea ſiſtere, quæ actu ſunt. (26)

(26) Qui corpora negant exiſtere, *Idealiſtæ* appellantur; *Egoiſtæ* vero, qui nonniſi proprium concedunt corpus exiſtere; *Dualiſtæ* tandem, qui ſpiritus admittunt exiſtere, & corpora. Negat Mallebranchius *lib. II. de Inquir. Ver. cap. 7.*, ex ideis, quas de corporibus habemus, poſſe recte colligi corpora de facto exiſtere. Mallebranchium ſequitur (& quem non ſequitur errantem?) Bælius *in Dictionario Art. Zenon.* Contra iſtos Auctores innumera facile poſſunt adduci argumenta: aliqua heic indicamus.

1. Intimo nobis ſenſu conſtat, ita nos a conſtanti, uniformi, & generali ſenſuum teſtimonio invicte ad aſſerendam corporis noſtri, aliorumque e. g. Terræ, Solis, Lunæ exiſtentiam determinari, ut ſenſibilia exiſtere corpora ſerio mens nequeat addubitare. Hæc autem invicta mentis ad aſſenſum determinatio non aliunde poteſt, quam ab evidentia proficiſci: niſi enim ab hac proficiſcatur, unde quæſo? Num a falſitate? Num a præjudiciis? Num ab inani imaginatione? Quot inde abſurda! Non ſolum enim de corporum exiſtentia, ſed & ſerio eſſet de rebus quibuslibet dubitandum, quod impoſſibile eſſe paullo poſt oſtendetur. 2.

177. Conceptibile eſt, quod ſub notione poſſibili in mente repræſentari poteſt (§. 159.): quod ſi ergo ea, quæ in notione complexa, poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, ſenſu acquiſita

---

2. Sapienter hinc Celeber. Boſcovichius *in I. ad Stay Philoſophiam ſupplemento ad ver.* 78. inquit n. 3.: „ De „ ſpirituum, & corporum exiſtentia, intima illa natu„ ræ voce admoniti, dubitare omnino non poſſumus, „ ne tum quidem, cum nobis ipſis vim inferre forte co„ nemur, ut de noſtrorum ſenſuum, de ſubſtantia ex„ tra nos poſita, & ipſos noſtros impellente ſenſus du„ bitemus cum Pirroniſtis, cum Egoiſtis, atque aliis e„ juſmodi mendaciſſimis viris, qui quidem intima illa „ eadem naturæ voce perpetuo pariter commonefacti, „ de eo ipſo, de quo ſe, reflexo quodam ſuſpenſi du„ bio, dubitare affirmant quandoque, ſæpe deinde men„ tis aciem eodem directe defigentes, dubitare omnino „ non poſſe profitentur. „

3. Paullo aliter eandem propoſitionem demonſtrat P. de Turre *in ſuis Inſtitut. Phyſicis ſect.* 1. *cap.* 1. *prop.* 2. *pag.* 40.: „ Quum mens, inquit, ideam aliquam præ„ ſentem habet, ſi unuſquiſque conſulat interiorem ſu„ um, clare apparebit, plures ideas præſentes eſſe ani„ mæ, quia volumus, quando, & quomodo volumus. „ In mea poteſtate eſt cogitare de meis facultatibus, „ de amicis abſentibus, de urbe remota, de itineribus „ inſtitutis &c. Innumeræ tamen ſunt ideæ, quas non „ poſſumus, cum libuerit, habere, & quas vitare in „ noſtra poteſtate non eſt: tempore hyemis in loco a„ perto cupio calorem experiri; in mea poteſtate non „ eſt: imaginabor quidem calorem, & hoc a me pen„ det; interim tamen premar ſenſatione frigoris. Ab„ ſente roſa, cupio experiri odorem roſæ; idea aliqua „ menti quidem obverſabitur, ſed longe diverſa a ſen„ ſatione, quam habeo, quum roſa naribus admovetur. „ Quibus deficiunt oculi, aut quibus aures penitus ne„ gatæ ſunt, perperam ideam lucis, & ſoni in mente „ excitabunt. Urgente ſomno, jaceo in lecto; non poſ„ ſum cohibere ſomnum: oculi, vel me invito, clau„ duntur, & amitto ſenſum omnem. Quum ſedeo aſſi-

„ due

ſita animæ præſentia ſiſtuntur, per judicium, quod quidem *intuitivum* appellabitur, conjuncta fuerint, hoc judicium *conceptibile* dici debebit.

178. Judicium falſum inconceptibile eſt. (§. 167.)

„ due experior ſellæ familiaris reſiſtentiam, quæ im-
„ pedit, quominus cadam: ſurgo, & experior pavi-
„ menti reſiſtentiam. Quocumque me vertam coghor
„ ſentire adjacentium corporum reluctationem. Ex du-
„ plici itaque hoc ſtatu, in quo ſæpe reperitur mens,
„ primus eſt in mea poteſtate, non autem ſecundus.
„ Datur itaque extra mentem aliqua ſubſtantia, & hæc
„ ab ea diverſa eſt; nempe extenſa, reſiſtens, & mobi-
„ lis: at hæc ſubſtantia extenſa, reſiſtens, mobilis vo-
„ catur corpus. Dantur ergo corpora. „

4. Idealiſtarum difficultates, ſi hoc nomen eorum merentur ſophiſmata, ad duo revocantur capita. I. Excitantur ſæpiſſime in mente ideæ rerum ſenſibilium, quin ipſis ullum reſpondeat corpus, uti in ſomniantibus contingit, in clinicis, melancholicis, aliiſque caſibus. II. Potuit Deus corporum omnium immediate ſupplere impreſſiones: fruſtra itaque corpora creavit. Primum a Mallebranchio proponitur argumentum, a Bælio alterum.

5. Gerræ tamen ſunt hæ, nugæque leviſſimæ. Ad I. Corpora vere exiſtere non probant Dualiſtæ, ex quo unam, vel alteram experiantur rei ſenſibilis ideam, verum ex ſenſibilium perceptionibus objectorum, quæ conſtantes ſunt, atque uniformes. Iſtis quandoque nullum correſpondere objectum probandum (probabunt autem numquam) Idealiſtis, ſi rite concluſum velint.

6. Ad II. Dici poſſet primo cum Vvolffio, non fruſtra a DEO creata fuiſſe corpora, quum ad univerſi perfectionem, majeſtatemque DEI oſtendendam conferant mirifice. Reſpondetur ſecundo, non omnia DEUM feciſſe, quæ ſunt abſolute poſſibilia. Potuit DEUS loco Terræ corpus aliud creare, quod non ex vulgaribus quatuor elementis, ſed ex auro puriſſimo, ex pretioſis lapidibus, ex aqua limpidiſſima eſſet compoſitum: quorſum non fecit? Quia fini non erat conveniens creationis. Optime. Atqui fini creationis nec erat conveniens de-

eſſe

167.). Enimvero cum judicia intuitiva, de quibus §. præced., conceptibilia ſint, falſa non ſunt: porro fieri non poteſt, ut judicium aliquod nec verum, nec falſum ſit (§. 151.); cum itaque dicta judicia intuitiva falſa non ſint, vera erunt. Relinquitur ex his, non deeſſe, unde judicia intuitiva ſufficienter agnoſcamus eſſe vera; conſequenter unde ipſa nobis certa ſint.

SCH. 1. *Nequaquam ſtatuimus, quævis judicia intuitiva, vel propoſitiones ea exprimentes pro certis haberi debere: contra aſſeveramus, haud pauca eſſe, quorum niſi quam maxima ratio habeatur, ea pro certis habere nequaquam licebit: quænam vero illa ſint, paullo poſt docturi ſumus.*

SCH. 2. *Interim jam ex parte docuimus, ſuſtinendam non eſſe ſententiam, ſiquidem ſeria unquam eſſe poſſit, eorum, quos Scepticos dicunt, contendentium nihil equidem humanæ menti certum eſſe poſſe. Porro autem ſat luculenter etiam patebit, quæ illi contra judiciorum intuitivorum certitudinem adferre ſolent, non niſi eo ſpectare, ut non quævis pro certis habenda ducamus, quod nos jam innuimus Sch. præc., minime*

---

eſſe corpora; tum quia perfectioni congruunt univerſi, ut jam dictum; tum quia creavit Deus hominem veritatis capacem, quam aſſequitur homo, dum ſequitur evidentiam; evidentiam vero ſequitur, dum affirmat dari corpora: verum igitur eſt dari corpora; quæ, niſi eſſent, homo evidentiam ſequutus, veritatem non attingeret: fruſtranea ergo non ſunt corpora, ſed neceſſaria. Mallebranchius ipſe non negat, hominem eſſe veritatis capacem, eamque aſſequi, dum evidentia lucet. Quid? Num evidentia ſenſuum, licet phyſica ſit, evidentia forte non eſt? Adde, quod homo curis inutilibus, & fallacibus impoſturis eſſet neceſſario obnoxius, niſi corpora exiſterent. Quibus aliis uſibus inſerviant corpora neceſſe non eſt heic ennumerare.

nime vero, ut nullam nobis certum eſſe poſſe exiſtimemus. (27)

179. Qui intelligit, quomodo prædicatum per notionem ſubjecti determinetur, propoſitionem agno-

---

(27) Ne Tironibus difficultatem aliquam Sceptico-rum argumenta, etſi falſiſſima, faceſſere contingat, eorum opinionem juverit plenius confutare, objectiſque ſatisfacere, queis innituntur.

1. Ac primo quidem argumento poſſunt Sceptici convinci, quod vocant *ad hominem*. Vel enim nihil ſciri ab homine poſſe, vere ipſi ſciunt, vel neſciunt: ſi neſciant; cur igitur a communi ſententia in re tanti momenti recedunt, omneſque, cauſſa etiam incognita, ſcientias condemnant? Si ſcire affirmant; inveniri ergo inter homines aliquod ſcientiæ genus fateantur oportet.

2. Quod ſi dicant, neſcire ſe prorſus, an aliquid ſciant, nec ne? immo nec omnino, ſit-ne aliquid, an nihil ſit? dubitare ſaltem nequeunt, quin eodem tempore, quo ita ſentiunt, ac dubitant, ipſi revera cogitent, exiſtant, vivant; non exiſtentis ſiquidem, nec viventis nulla eſſe poteſt cogitatio, dubitatio nulla. Quidquid igitur aſſerant Sceptici, quin ſinguli homines, quos ſumma ſaltem non cepérit dementia, ſciant certo ſe eſſe, vivere, cogitare, nequit negari. Quod ſiquis revera in univerſali ſe eſſe dubitatione conſtanter aſſeveret, is profecto non foret rationibus convincendus, ſed vinculis conſtringendus potius, ac carcere fatigandus: tumque, ubi ſe immerito vexari quereretur, reſpondere quis poſſet: non eſt, amice, cur querare, quod immerenti pœna infligatur; quandoquidem quod non vivit, quod non exiſtit, quod aliquid non eſt, nil ſentit, nil patitur.

3. Innumera ſunt præterea, quibus ea aſſentimur mentis firmitate, conſtantiaque, ut nulla ab iis auctoritate, nullis inde dimoveri poſſimus rationibus. Quum bina binis addita efficere quatuor intelligimus, omne totum ſua eſſe parte majus, non poſſe idem ſimul eſſe, & non eſſe, his ſane, aliiſque hujuſcemodi veritatibus quamplurimis firma prorſus, quidquid contra diſputent Sceptici, atque indubitata mentis adhæremus aſſenſione.

4. Quoniam vero omnia Scepticorum complexus eſt argu-

agnoſcit eſſe veram (§. 160.). Ope demonſtrationis aperte intelligimus, quomodo prædicatum per notionem ſubjecti determinetur; conſequens proinde fit, ope demonſtrationis propoſitionem nobis evadere certam. 180.

---

argumenta Huetius, ſive alius quicumque libellum inſcripſit *De imbecillitate humani intellectus*, quem ſolide impugnarunt viri Cl. Muratorius, & P. Sicco; non aliunde iccirco, quam ex ipſo aliqua, non omnia ſane, proponam, ſimulque diſſolvam. Objicit itaque I. Huetius Eccleſiaſtem cap. VIII. dicentem: *Intellexi, quod omnium Operum DEI nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet.* In idem recidunt quæ Auctor ex eodem Eccleſiaſte, ex Sapientiæ libro, ex D. Paullo congerit.

5. Reſp. Eorum dumtaxat voluiſſe Eccleſiaſtem laudato loco deprimere arrogantiam, qui omnia ſibi eſſe comperta gloriantur ſtolidiſſime: patet id ſplendidiſſime ex contextu. Quum autem nullam dixit poſſe ab hominibus eorum inveniri rationem, quæ fiunt ſub Sole, intimas rerum cauſſas eſſe obſcuriſſimas unice innuit, rationeſque eorum, quæ ſub Sole fiunt, adæquatas non poſſe ab hominibus adſignari. At quid inde adverſus nos, qui maximam eorum partem, quæ facta ſunt, ignorari non diffitemur? Idem pro aliis S. Scripturæ locis ab Huetio adjectis dictum eſto, ex quibus nihil prorſus, quod Scepticis faveat, poſſe erui, clarior res eſt, quam ut dici oporteat.

6. II. Proponit Huetius, plurimumque decantatum illud dilatat argumentum, quod ex fallaci ſenſuum deſumitur teſtimonio, quodque ad hanc formam contrahitur: A ſenſibus ortum habet omnis noſtra cognitio: at fallaces ſunt ſenſus, nec abſque erroris periculo aliquid deprehendunt: incerta eſt ergo omnis noſtra cognitio, erroriſque ſuſpecta.

7. Reſp. Ambiguum valde eſt *ſenſuum* vocabulum: aut enim organa ipſa ſenſoria, e. g. oculi, aures; aut motiones in his organis ab externis objectis factæ; aut harum motionum perceptiones appellantur ſenſus. Quum igitur prædicant Sceptici ſenſibus nos decipi, rogatos volumus, inquit Antonius Genoveſius, ut quanam ratio-

180. Equidem monuimus alibi (§. 149.), nequaquam quamvis probationem dicendam eſſe demonſtrationem; ſed non niſi eam, cujus præmiſſæ ſunt propoſitiones identicæ, definitiones, & axio-

---

tione ſenſus vocabulum accipiant, nobis explicetur. Si priori, ut par eſt credere, non alio modo decipere nos queunt ſenſus, niſi quia externorum augeant objectorum imagines, aut imminuant: igitur circa eorum objectorum exiſtentiam decipere nos nequeunt, a quibus commoventur. Conſulantur quæ ſupra in Nota (26) contra Mallebranchium ſunt dicta. Quomodo vero omnis noſtra cognitio clara originem a ſenſibus habeat, in Pſychologia exponendum.

8. III. Opponit. Earum rerum, quæ inter ſe connectuntur nequit una cognoſci, quin cognoſcantur & aliæ: at res omnes, quæ nobis conſiderandæ objiciuntur, miram inter ſe habent connexionem: earum igitur aliquam nequit homo cognoſcere, quin cognitione ſua ceteras ſimul complectatur.

9. Reſp. Diſt. majorem: earum rerum, quæ inter ſe connectuntur, nequit una cognoſci adæquata cognitione, comprehenſiva, undique perfecta, quin cognoſcantur & aliæ, concedo maj.: earum rerum, quæ inter ſe connectuntur, nequit una cognoſci cognitione quidem evidenti, ſed imperfecta, inadæquata, homini viatori accomodata, quin cognoſcantur & aliæ, nego maj.; & conceſſa minore, nego conſequentiam. DEUM, comprehendendo unum ſingulare, totam entium ſeriem cognoſcere, demonſtrant Theologi: at homines non poſſe unum objectum cognoſcere evidenter, quin omnia cognoſcant, propoſitio eſt, cujus falſitas conſtanti liquet experientia. Humani corporis partes mirifice inter ſe colligantur; ſunt tamen qui earum aliquas habent perſpectas, reliquas ignorent: nil ergo hoc ineptius eſt argumento: *Non ſcimus omnia: ergo nihil ſcimus*. Sapienter hinc Lactantius *Divin. Inſtit. Lib. III. cap. 6.* inquit: „ Hominis ſapientia eſt, ut neque „ te omnia ſcire putes, quod DEI eſt, neque omnia „ neſcire, quod eſt pecudis: eſt enim aliquod medium, „ quod ſit hominis, ideſt ſcientia cum ignoratione con„ juncta, & temperata „.

10.

& axiomata, ſeu generatim propoſitiones certæ. (§. 147.); quoniam vero oſtendimus propoſitiones judicia intuitiva legitime formata exprimentes inter certas locum quoque ſibi vendicare, ſta-

---

10. IV. Ut ſcientia eſſe dicatur, dari quoque aliquod debet veritatis criterium, ideſt, certa quædam nota, qua verum mens noſtra a falſo citra erroris periculum valeat diſcernere: atqui certum hujuſmodi non ſuppetit criterium: ergo &c. Minor probatur: Criterium veritatis, quod ſolent Philoſophi aſſignare, Evidentia eſt immediata: at hæc certum criterium non eſt: ergo &c. Min. prob. Evidentia immediata non habet cum veritate connexionem neceſſariam: eſt enim immediata ſive idearum, ſive intimi ſenſus evidentia mentis affectio, quæ cum mente ipſa, non autem cum rebus aliis eſt connexa: ergo &c. Idem ſequenti confirmatur argumento: Evidentia contraria eſt evidentiæ. Prob.; namque Propoſitio XX. lib. II. Euclidis eſt evidens; pariterque evidens eſt XLVII.: at illa huic eſt contraria: ergo &c. Prob. min. Si hypotenuſæ quadratum quadratis laterum eſt æquale, radix quoque quadrati hypotenuſæ radici quadratorum laterum erit æqualis: jamvero ſi radix quadrati hypotenuſæ radici quadratorum laterum eſt æqualis, propoſitio XX. eſt falſa: ergo &c. Min. prob.; nam radix quadrati hypotenuſæ eſt latus ſubtendens angulum rectum, & radix quadratorum laterum ſunt ipſa latera: ergo &c.

11. Reſp., negatis reſpectivis propoſitionibus, ad ultimum antecedens, eſſe quidem immediatam evidentiam mentis affectionem; at ſimul vivida eſt, perſpicua, pulcherrima objecti repræſentatio. Nullam porro haberi connexionem inter veritatem, manifeſtiſſimamque veritatis facem, dicere poterunt Sceptici, probare non poterunt. Et ſane quænam major haberi poteſt inter duo connexio, quam illa, quæ cogitationem inter habetur, & cogitantem? inter veritatis criterium, ipſamque veritatem? Ad confirmationem, poſtremum antecedens eſſe falſiſſimum ajo; falliſſimas proinde propoſitiones eſſe, ex quibus illud ſequitur: radix enim quadratorum laterum in triangulo rectangulo non ſunt

ipſa

ſtatuere jam licet, has etiam præmiſſarum munere in demonſtratione fungi poſſe; unde porro fluit, propoſitiones, quæ ex propoſitionibus judicia

---

ipſa latera, ſed eſt quantitas irrationalis, ut Algebræ loquuntur Profeſſores, quod ex Propoſitione IV. lib. II. Euclidis conſtat. Hæc indicaſſe ſufficiat: prolixior enim reſponſionis declaratio intempeſtiva tironibus eſſet in Logicæ ſtudium incumbentibus.

12. V. De omnibus dubitandum ex eo vel maximè eſt, quia neſcimus, num ita a DEO ſimus conſtituti, ut ſemper fallamur.

13. Reſp. Nil magis abſurdum dici poſſe ſcimus certiſſime, quam DEUM falſitatis eſſe, erroriſque auctorem: id autem ſequeretur evidentiſſime, ſi talis naturæ nos DEUS creaſſet, ut ſemper falleremur, nec verum aſſequi unquam poſſemus: hoc ergo ſcimus, non ita a DEO nos eſſe creatos, ut in errore ſemper verſemur.

14. Ceterum huic, ceteriſque a Scepticis propoſitis argumentis poteſt per inſtantiam, ut Scholæ loquuntur, reſponderi hoc pacto: Allatum argumentum verum-ne putat Scepticus, an probabile, an falſum? Si verum putat, certumque, rogandus, ut nobis exponat, undenam eſſe certum ſciat; niſi enim ad evidentiam recurrat immediatam, fruſtra laborare convincetur: ſi probabile eſſe reſpondeat, difficultatem non ſolvet; argumentum namque dicitur probabile, quatenus ad evidentiam videtur accedere: ſi tandem falſum eſſe aſſerat allatum argumentum, acriter tum reprehendendus, quod communem ſententiam falſis audeat argumentis impugnare.

15. Perſequamur & reliqua. VI. Ex iis, quæ facta ſunt, pleraque ignorari objiciunt; annuimus: pleraque eſſe in omnibus ſcientiis hinc inde controverſa; non refragamur: Philoſophos acerrime reluctari Philoſophis; fatemur: quid concludent? Omnia ignorari, nil certo comprehendi? Non ſequitur. Scepticis demonſtrandum, non plurima, non pleraque, ſed omnia ignorari, controverti, diſputari, ſi velint rite concludere: nobis enim ad Scepticos confutandos ſatis eſt, ſi rem vel unam certo ſciamus, inquit laudatus Genoveſius.

dicia intuitiva legitime formata exprimentibus deducuntur, certas esse.

181. Hinc *Demonstratio* recte quidem dici potest *Oratio, qua propositionem, vel enuntiationem aliquam veram esse ex veris, notisque principiis, seu præmissis, rite facta argumentatione, docemur*; sive in præmissis non occurrant, nisi definitiones, & axiomata, quo quidem casu demonstratio solet demonstratio *a priori* vocari; sive experientia in iis utamur, cujusmodi demonstratio consuevit *a posteriori* appellari. (28)

SCH. Ut forte admiserint Sceptici, & Acataleptici propositionem demonstratam pro certa habendam esse, cum tamen demonstratio ratiocinando absolvatur, ratiocinandi autem vis, atque facultas in homine admodum curta, atque exilis sit, quod quidem tam frequentes, tamque etiam insignes errores in argumentando, ac ratiocinando ab iis plane, qui sapientes habentur, committi soliti, satis commonstrant; affatim perspicuum putant, humano intellectui viam ad certitudinem ope demonstrationis minime patere: dubitandum proinde potius de omnibus; nihil pro certo habendum.

At

(28) Communiter definitur Demonstratio *a priori* hoc modo: *Demonstratio, qua posterius per prius, effectus scilicet per causam, reique proprietas ostenditur per essentiam*: E. g. *Anima nostra est immortalis, quia substantia est spiritualis.* Demonstratio *quia*, seu *a posteriori* illa vocatur, *qua prius per posterius, causa nimirum per effectum, vel rei natura per proprietatem ostenditur*. E. g. *Existunt Creaturæ: ergo existit DEUS.* Quum vero ex effectu colligimus causam, indeque ex causa ad eundem regredimur effectum clarius, distinctiusque percipiendum, ea mens utitur ratiocinatione, quæ *Regressus demonstrativus* vocatur. Sic ex creaturis cognoscimus DEUM, & inde ad creaturas revertimur.

At enim utcunque curta, atque conſtricta ſit in homine ratiocinandi vis, quid aliud conſequitur, quam vix fore, ut ea, quæ ſublimiora ſunt, certo a nobis perſpiciantur? Id vero ſane minime recte ſtatuitur, nihil eorum, quæ ſunt, vel fiunt, certum haberi poſſe. An non in bene multis homines adhuc experti ſunt, ac etiamnum tantum non quotidie experiuntur ſua ſibi ratiocinia ſat feliciter ſuccedere? Tum dicant Sceptici: ſatis-ne per ſuam intelligendi, ac ratiocinandi vim certum habeant, humanum intellectum certitudine potiri non poſſe? Quod ſi ita, norint utique oportet, quis modus in ratiocinando tenendus fuerit, ut quod aliis incredibile, ipſis plane certum evaderet? cur modum hunc tenere non liceat, ut alia quædam nobis certa evadant? Si certum non habent, deſinant velle, ut vel ab uno aliquo ipſis fides habeatur.

182. Propoſitionem agnoſcimus eſſe veram, quatenus prædicatum ſubjecto convenire agnoſcimus, ſive demum ipſam veritatem ſimul perſpiciamus, ſive non perſpiciamus; quorum prius unice accidit, cum propoſitionem demonſtramus; poſterius 1. quidem contingit, cum judicium intuitivum legitime formamus (§. 161. & §. 178.,); 2. autem contingere poteſt, ſi aliquid de ſubjecto prædicamus, vel enuntiamus, quod alius falli, & fallere neſcius eidem convenire aſſeruerit.

183. Certa proinde eſt propoſitio, qua enuntiamus, vel affirmamus, quod alius, in quo nec rei ſcientiam, nec veracitatem deſideraveris, affirmavit, vel enuntiavit: facile autem perſpicimus hic eo omnem rem recidere, ut nobis conſtet, tum illum alium ſcientia, & veracitate non deſtitui, tum re ipſa eum aliquid affirmaſſe, vel

enuntiaſſe; quorum alterutro deficiente propoſitio certa non erit.

184. Quotquot DEUM verum agnoſcimus, eundem & omnia ſcientem, & veraciſſimum novimus. Quod ſi proinde etiam conſtiterit, eundem aliqua affirmaſſe, vel enuntiaſſe, de oppoſito dubitare nullatenus poterimus: propoſitiones adeo hujuſmodi certæ eſſe debebunt.

SCH. Non putamus ad nos hic pertinere, ut cum iis congrediamur, qui de ipſa DEI Scientia, ac Veracitate, vel ſit-ne is hominibus aliquando locutus, dubium, controverſiamve movere audent: quorum quidem alterum in alia Philoſophiæ parte certum facere conabimur; alterum vero ad Theologos ſpectare non immerito arbitramur. Hos pervicaces, ac effrontes illi adeant, graviſſimis argumentis indubitate convincendi.

185. Hactenus de propoſitionibus certis. Propoſitiones incertæ quoniam eæ dicuntur, in quibus argumentum dubitandi de oppoſito relinquitur (§. 172.), facile colligitur, propoſitionem eatenus fore incertam, quatenus eam veram eſſe ſatis agnoſcere non licet.

186. Propoſitio incerta minime idem ſonat, quod propoſitio falſa: in hac ſubjecto tribuitur, quod eidem repugnat; in illa ſolum ſatis non diſpicimus, an quod tribuitur ſubjecto, eidem conveniat. Hinc etſi non ſuppetant, unde ſatis agnoſcamus propoſitionem veram, nondum ſequitur, eam eſſe falſam; licet ipſa nobis incerta futura ſit. Quod ſi autem quædam præſto fuerint, ex quibus aliqua ſaltem ratione, tametſi non ſatis, agnoſcamus propoſitionem eſſe veram, ea etiam *probabilis* dicetur.

187.

187. Haud difficulter quiſque intelliget, propoſitionem unam altera poſſe eſſe probabiliorem: cum enim propoſitio dicatur probabilis, cum quædam ſuppetiverint, ex quibus aliqua ſaltem ratione agnoſcatur eſſe vera, plura, aut graviora ſuppetere poterunt, ex quibus propoſitio A agnoſcatur eſſe vera, quam ſuppetant, ex quibus propoſitio B vera eſſe agnoſcitur; probabilior proinde illa, quam hæc futura eſt.

188. QUOD PROPOSITIO ALIQUA PROBABILIS SIT, CERTUM NOBIS ESSE POTEST. Fieri poteſt, ut in caſu oblato demonſtrare valeamus hanc propoſitionem: *Hic ſuppetunt, ex quibus propoſitionem datam aliqua ſaltem ratione veram eſſe agnoſcere licet*: atqui vero quod demonſtrare valemus, id nobis certum evadit: propoſitio itaque hæc: *Hic ſuppetunt, ex quibus &c.* nobis certa eſſe poteſt: ſed in ea enuntiatur probabilitas datæ propoſitionis: hæc proinde nobis certa eſſe poteſt.

189. Diximus, quod ſi propoſitio ſit nobis incerta, non hoc ipſo ſequatur, eam eſſe falſam: quod ſi tamen nihil etiam ſuppetiverit, unde ipſa vera eſſe agnoſci queat, dicenda erit *improbabilis*. Porro autem addimus fieri poſſe, ut propoſitio aliqua ſit nobis & incerta, & falſa; immo ut nobis ſit probabilis, & falſa; ac contra etiam improbabilis, & vera: experientia quippe ipſa ſatis exploratum habetur, non raro propoſitiones prius probabiles ſucceſſu temporis deprehenſas eſſe falſas, ac prius improbabiles ſubinde veras eſſe compertas.

SCH. Illud autem porro a quibuſdam quæritur: Omneſ-ne propoſitiones probabiles poſſint eſſe falſæ? Negant id ipſum ſequenti nixi argumento: Si omnis

probabilis propoſitio falſa eſſe poteſt, nulla poteſt eſſe vera: omnis igitur neceſſario falſa eſt: quæ neceſſario falſa eſt, ea non eſt probabilis: ergo nihil probabiliter cognoſcimus. Quod equidem dictu abſurdum videri debet. *Quid nobis videatur, in Prælectionibus manifeſtum faciemus.* (29)

CAPUT III.

De Certitudine Judiciorum Intuitivorum in ſpecie.

190. HAud pauca eſſe, quorum niſi ratio habeatur, judicia intuitiva pro certis habenda non ſunt, monuimus ſupra (Sch. 2. §. 178.). Hæc capite præſenti expoſituri ad ſequentia adverti animum volumus. I. Judicium intuitivum poteſt, ſoletque etiam dici *experimentale*, ex eo nimirum, quod illo conjungamus, quæ ad notionem complexam ſenſuum beneficio acquiſitam attenti in eodem conjuncta cognoſcimus; ejuſmodi autem cognitio, vel *notitia, quæ attentione ad notionem ſenſuum beneficio acquiſitam obtinetur, Experientia* appellatur. II. Notionum, quæ ſenſuum beneficio acquiruntur, ratio in mutatione organis ſenſoriis inducta continetur (§. 9.): conſequens

(29) Quum una probabilis propoſitio alteri poſſit eſſe contradictorie oppoſita, falſæ ſimul eſſe ambæ non poſſunt; quia tamen duarum probabilium propoſitionum determinata veritas nobis abſolute eſt ignota, hinc nonniſi cum errandi formidine propoſitionibus probabiliter veris præſtandus aſſenſus: non enim objecta afficit probabilitas, ſed mentem.

ſequens inde fit, pro diverſitate mutationum illarum perfectiores, vel imperfectiores (puta clariores, vel obſcuriores) notiones fore. III. Mens, ne ad rem ſibi præſentem ſatis attendat, variis modis impediri ſolet: nunc eam abs accuratiore attentione abſtrahunt extrinſeca; ut cum aliorum vociferationes nos ad ea, quæ in propoſito libro nobis offeruntur, attendere non ſinunt: nunc ipſa ſibi impedimento eſt; ut cum vehementiori quodam affectu iræ e. g., vel etiam amoris exæſtuat; tali namque caſu minime apti ſumus ad rite attendendum. IV. Cum experientia ſit cognitio, quæ attentione ad notionem ſenſuum beneficio acquiſitam obtinetur, dici nequit, nos ea experiri, quæ in ſenſus non occurrunt, quorumve adeo notionem per ſenſus non habemus. Qui ſe experiri putat, quod reipſa non experitur, *vitium ſubreptionis* committere dicitur. Sic e. g. vitium ſubreptionis committet, qui, obſervans plumbum igni admotum liquefieri, putaverit, ſe experiri in igne vim aliquam liquefactivam, tanquam cauſſam liquefactionis. V. Dum mens ſenſuum beneficio notionem rei cujuſdam acquirit, plerumque ſe continuo admiſcet imaginatio, quæ nunc illi notioni aliquid demit, nunc addit, nunc, quæ in ea continentur, mutat &c. Exempla in Ontologia ſat multa occurrent.

SCH. His rite notatis haud difficulter intelligi poterunt, quæ circa judicia intuitiva ſequentibus propoſitionibus ſtatuentur.

191. Ad certitudinem judicii intuitivi maxime requiritur, ut notio, ex qua illud formatur, ſit clara. Nam niſi clare ope ſenſuum cognoveris,

actu aliqua conjuncta esse, dubitare merito poteris, immo debebis, id-ne, quod affirmaturus es, subjecto re ipsa conveniat? E. g. videns Cajum in charta aliquam figuram ope graphii designare, non autem satis agnoscens, sit-ne quinquangularis, aut sexangularis figura, judicium certum nequaquam formabis affirmando: *Cajus designat figuram sexangularem*.

192. Claritas sensationum pendet a mutatione in organis sensoriis ab objectis producta: hinc sequitur, si objectum plus æquo distiterit, aut nimis exile fuerit, convenientem in organis mutationem non productum iri; neque adeo ipsam sensationem futuram claram: relinquitur adeo, objectum inter, de quo judicium intuitivum formaturi sumus, & organa sensoria justam adesse distantiam, ipsiusque objecti justam magnitudinem esse debere.

SCH. Equidem a majori distantia objecti pendet, ut illud nobis repræsentetur ceu planum, quod, si propius foret, convexum agnosceretur: exemplum in Sole habetur. Similiter a parvitate objecti proficiscitur, ut superficies nobis exhibeatur ceu polita, quæ re ipsa suis eminentiolis non caret, quæ tamen sensum fugiunt.

193. Ex quo Telescopia, & Microscopia inventa sunt, satis certa judicia intuitiva formari possunt de objectis etiam utcunque distantibus, & exilibus: ope namque illorum de distantibus; ope istorum de exilibus notiones satis claras acquirimus.

194. Vix, ac ne vix quidem judicium intuitivum formabitur certum, si mens vehementiori quodam affectu æstuet: nam cum mens ejusmodi

di affectu æſtuans apta non ſit ad attendendum (§. 190.), vix, ac ne vix quidem fieri poterit, ut notionem acquirat claram; neque ergo judicium, quod formabitur, certum eſſe poterit: ut adeo ſatis pateat, eum, qui judicium intuitivum formaturus eſt, ſiquidem pro certo haberi debeat, animo tranquillo, ac ſedato eſſe oportere.

195. Sæpe etiam organa ſenſoria morbo quodam, vel vitio laborant: enimvero cum hoc ipſo in illis eæ mutationes non producendæ ſint ab objectis, quæ producerentur, ſi ea integra, & valentia eſſent, atque adeo in ipſa ſenſatione defectus quidam futurus ſit; facile intelligitur, ipſum judicium, quod ex ea formabitur, non fore ſatis certum: itaque recte etiam ſtatuitur, ejus, qui judicium intuitivum formabit, organa ſenſoria integra, ac valentia eſſe debere.

SCH. Organis morbo, vel vitio laborantibus ſubveniri etiam poterit per inſtrumenta arte facta.

196. Plurimum certitudini judicii intuitivi conſuletur, ſi rem, de qua judicaturus es, ad tot ſenſus, acquirendæ notionis cauſſa, redegeris, ad quot illa redigi poteſt: nam cum hoc casu notio indubitate clarior ſit futura, non erit ſane, cur formidemus in judicio, quod ex ea formabitur, prædicatum ſubjecto non convenire; ſatis ergo agnoſcemus illud eſſe verum: conſequenter liquet, quod hac ratione certitudini judicii intuitivi plurimum conſuletur.

SCH. Certius quis judicabit, propoſitum vinum e. g. eſſe Burgundicum, qui & viſu, & guſtu, & odoratu illius notionem acquiſiverit, quam judicaturus ſit, qui ejus notionem non niſi uno ex his ſenſibus acquiret.

197. Omnium minime certa judicia intuitiva erunt, in quibus, non vitato vitio ſubreptionis, affirmabis, quorum nullam rationem habebis: quibus quidem rectiſſime addideris illa, quæ ex notionibus per imaginationem vel jam mutilatis, vel auctis, vel mutatis formabuntur. Unde merito hæc lex fluit: *Judicium intuitivum formaturus ſtudioſiſſime attendat ad ea, quæ in notione primum ſenſibus acquiſita continentur; nec alia affirmando conjungat, quam quæ in illa conjuncta advertit.*

198. Philoſophus debet cognoſcere rationem ſufficientem eorum, quæ ſunt, vel fiunt, ſeu debet iſtorum cognitionem philoſophicam habere (N. II., & III. Proœm.); hanc vero repetere jubetur a cognitione hiſtorica, ſeu experientia (N. V., VI., & X. Pro.): proinde maximi ejus referre animadvertimus, ut modum norit diſpiciendi, recte-ne experientia duce judicet, aliquid illud eſſe, ex quo aliud, quod eſt, vel fit, ſufficienter explicari, ac probari queat? Duo itaque habeat. I. Si in ente A mutatio aliqua obſervatur, quam primum illud cum ente B conjungitur, tunc merito ſtatuimus, rationem ſufficientem mutationis, quæ in ente A accidit, in ente B contineri. II. Ex eo autem, quod quædam etiam perpetuo ſibi vel coexiſtant, vel ſe excipiant, non continuo inferendum: *Ergo unum continet rationem ſufficientem alterius*; cum fieri poſſit, ut utriuſque in alio ratio ſufficiens contineatur.

SCH. 1. *Dum videmus in tubo torricelliano mercurium, qui prius aere exhauſto ſubſiderat in antlia pneumatica, eo admiſſo, continuo aſcendere, merito qui-*

quidem aſſerimus, hujus phœnomeni rationem ſufficientem in aere, ejuſque gravitate contineri.

Quod ſi autem fiat, ut, apparente Cometa, bellum oriatur, vel Princeps aliquis fatis cedat, inconvenientiſſime plane quis judicabit in Cometa rationem belli, vel mortis alicujus Principis contineri.

SCH. 2. Plura equidem ſunt, quæ de experientia, judiciiſque ex ea formatis, vel formandis doceri poſſent. Ea egregie complexus eſt Hambergerus in Præfatione ad editionem tertiam ſuorum Elementorum Phyſices. Nos quædam adhuc infra, ubi de veritate invenienda acturi ſumus; ac denique etiam tum, quando cum experimentis nobis res erit, monebimus. Cæterum hic adhuc fatendum, judicia intuitiva frequentiſſime omnino probabilitatem non excedere: de hac autem paullo poſt.

CAPUT IV.

De Scientia.

199. PErfectiſſima omnium, quam quidem mens humana ſuis tantum viribus adipiſci poteſt, cognitio, eſt ea, quam ope demonſtrationis adipiſcitur: dicitur autem illa id ipſum, quod ope demonſtrationis cognoſcit, *ſcire*.

SCH. Vulgo dicimur ea ſcire, quorum qualemcumque notitiam habemus. At tam amplus ſignificatus voci huic ſcire *in Logica merito adimitur.*

200. Etſi qui in particulari caſu propoſitionem quamdam demonſtraverit, eandem ſcire dicendus erit; ſcientiam tamen illi proprie tribuendam putamus, qui habitu, ſeu facilitate demonſtrandi fuerit inſtructus. Atque hoc ſignificatu vocem

Scien-

Scientiæ porro accipiemus; cognitionem illam, quæ ex particulari demonſtratione obtinetur, *cognitionem ſcientificam* nominaturi.

201. QUI REI HABET COGNITIONEM SCIENTIFICAM, EJUS COGNITIO EST CERTA. Nam cognitio ſcientifica obtinetur ope demonſtrationis (§. præc.); ope autem demonſtrationis ipſam propoſitionis veritatem perſpicimus (§. 179.); veritateque perfecta omnis formidandi de oppoſito locus tollitur: patet proinde, cognitionem ſcientificam eſſe certam.

SCH. Cognitionem ſcientificam ajunt etiam ſimul eſſe evidentem: neque ſane immerito: cum enim illam obtineamus ope demonſtrationis, propoſitionem non qualitercunque agnoſcimus veram, ſed ipſas notas veritatis perſpicimus, in quo equidem evidentiam ſitam eſſe haud immerito arbitramur.

202. Quoniam per ſcientiam denotamus habitum, ſeu facilitatem demonſtrandi; habitus autem frequentiori exercitio acquiritur; colligitur porro, ſcientiam nos demum adepturos eſſe, ſi demonſtrandi laborem etiam atque etiam in nos ſuſcipiamus.

203. De demonſtratione diverſis jam locis egimus: diximus, eam id generis probationem eſſe, in qua propoſitio ex principiis non niſi certis, atque indubiis legitimo nexu deducitur (§. 181.); illius vero modi principia eſſe propoſitiones identicas, definitiones, axiomata, atque judicia intuitiva experientiam certam exprimentia (§. 180. &c.). Supereſt, ut circa ipſam demonſtrationis informationem quædam apertius porro doceamus.

204. IN DEMONSTRANDO INDISPENSABILITER USUM SUUM HABENT REGULÆ SYLLOGISMI. Demonſtra-

ſtraturi quippe propoſitionem detegere debemus rationem ſufficientem, cur prædicatum ſubjecto conveniat, vel non conveniat (§. 142.); quorum adeo primum præſtituri ſumus, ſi vel ob convenientem ſubjecto definitionem eidem convenire definitum, aut viciſſim, vel ob determinatum ejus ſtatum determinatum quemdam modum illi competere oſtenderimus; ubi quidem nuſpiam applicatio *Dicti de omni* locum ſibi non vendicabit: quemadmodum etiam in præſtando altero applicatione *Dicti de nullo* ſemper opus erit, ut facile intelligetur: conſequens proinde fit, in demonſtrando, regulas applicandi Dictum de omni, & nullo, hoc eſt (quoniam ſyllogiſmi non ſunt niſi applicationes illius Dicti), regulas ſyllogiſmorum indubitate uſum ſuum habere.

SCH. 1. *Equidem demonſtrationes Virorum etiam doctiſſimorum apparent ex ſyllogiſmis non conſtare; re ipſa tamen conſtare ſatis agnoſcuntur, ſi illarum reſolutio, ſive analyſis inſtituatur. Nempe perperam quis exiſtimaverit, ſyllogiſmis locum eſſe non poſſe, niſi voces illæ* ſed, atqui, ergo *occurrerint: vel ſine his propoſitio aliqua ex aliis tanquam notioribus rite deducitur, quod unum ſyllogiſmi naturam abſolvit.*

SCH. 2. *Collige exinde non utilitatem modo, ſed & neceſſitatem Logicæ artificialis ad ſcientiam adipiſcendam.*

205. Syllogiſmi, *quibus in demonſtratione utimur, demonſtrativi* dicuntur. In syllogiſmo itaque demonſtrativo propoſitiones, quas præmiſſas vocamus, vel exprimant definitiones, & experientias certas, vel ſint identicæ, aut axiomata, vel certe ſint concluſiones syllogismorum ex hujuſmodi præmiſſis conſtantium, oportet.

Ra-

Ratio patet ex eo, quod ipſa demonſtratio ſit id genus probatio, in qua non admittuntur principia, niſi certa, ac indubia; qualia ſcilicet dumtaxat ſunt propoſitiones identicæ, itemque axiomata, ac propoſitiones definitionem, vel experientiam certam exprimentes, aut demum propoſitiones jam demonſtratæ: cum igitur in demonſtratione syllogiſmis utendum ſit; atque in horum præmiſſis principia demonſtrandi locum ſibi vendicent, eæ ſane illius, quam diximus, conditionis eſſe debent.

206. Etſi accidere poſſit, ut propoſitionem nanciſcaris, quam unico syllogiſmo demonſtrare queas, perraro tamen re ipſa id accidet: atque ſi acciderit, in hujusmodi syllogiſmo præmiſſæ omnino non poterunt eſſe aliæ, quam propoſitiones identicæ, vel axiomata &c. Enimvero frequentiſſime syllogiſmis concatenatis, ſeu ratiocinio polyſyllogiſtico opus eſſe experieris, quod adeo eouſque protendere oportebit, dum devenias ad hujuſmodi syllogiſmum, cujus omnino præmiſſæ non ſint, niſi propoſitiones identicæ, vel axiomata &c.

SCH. Applicatio Dicti de omni, vel nullo non ita ſyllogiſmis eſt propria, ut non in aliis etiam argumentandi generibus obtineat, tametſi in his non tam aperte, ac diſtincte appareat, quemadmodum in illis apparet: unde hæc argumentandi genera ſyllogiſmos crypticos appellavimus. Poterunt proinde loco ſyllogiſmorum perfectorum etiam alia argumentandi genera in demonſtratione adhiberi: circa ea tamen obſervanda erunt, quæ de ſyllogiſmis ſtabilivimus.

207. Demonſtratio alia eſt *directa*, ſive *oſtenſiva*, alia *indirecta*, ſive *apogogica*. Demonſtratio oſtenſi-

va

va eſt, *qua ex notione ſubjecti prædicatum ſubjecto convenire colligitur*: demonſtratio apogogica eſt, *qua poſito rei demonſtrandæ contrario tanquam vero, id ipſum vero repugnare evincitur*. Demonſtrationem directam formaturus ſubjectum, ac, ſi opus fuerit etiam prædicatum propoſitionis demonſtrandæ definit: tum 1. Ex definitionibus format enuntiationes; itemque ex iis, quæ vel certa experientia, vel legitima probatione de ſubjecto, aut prædicato jam innotuerunt: ex his omnibus fiunt propoſitiones *minores* syllogiſmorum: 2. Cognita propoſitione minore, concipit propoſitionem univerſalem, quæ cum minori communem terminum habeat: hæc erit propoſitio *major*: atque ita fundamenta concluſionis habebuntur; primum nempe ex natura demonſtrationis requiritur; alterum propterea fieri debet, quod ex ſola minore syllogiſmus conſtare non poteſt: 3. Concluſio formata ſumitur ut præmiſſa novi ſyllogiſmi, cui jungitur alia ex antecedentibus nota, inferturque concluſio: atque hac ratione, adhibitis, ſicubi opus fuerit, conſequentiis immediatis, demonſtrans progreditur, donec aliquo ſyllogiſmo inferatur concluſio, quæ eadem ſit cum propoſitione demonſtranda.

SCH. Sit e. g. demonſtranda hæc propoſitio: Mundus eſt contingens: *ex definitione Mundi formabitur enuntiatio*: Mundus complectitur entia ſpatio connexa. *Tum erit propoſitio major prima*: Quidquid complectitur entia ſpatio connexa, id compoſitum eſt: *minor*: Mundus complectitur entia ſpatio connexa: *concluſio prima*: Ergo Mundus eſt ens compoſitum. *Propoſitio major ſecunda*: Nullum compoſitum cum abſoluta neceſſitate exi-

exiſtere poteſt: *minor ex concluſione prima*: Mundus eſt ens compoſitum: *concluſio ſecunda*: Ergo Mundus non poteſt cum abſoluta neceſſitate exiſtere. *Propoſitio major tertia*: Quidquid exiſtere non poteſt cum abſoluta neceſſitate, id contingens eſt: *minor ex concluſione ſecunda*: Mundus exiſtere non poteſt cum abſoluta neceſſitate: *concluſio tertia*: Ergo Mundus eſt contingens.

208. Demonſtratio indirecta, ſeu apogogica ita efficietur: 1. Ponitur enuntiatio propoſitioni demonſtrandæ oppoſita: 2. Cum hac agitur, quod in demonſtratione oſtenſiva cum ea, quæ ex definitione formata eſt, agi ſolet: nempe adhibetur pro minore ſyllogiſmi primi, vel ex ea per conſequentiam immediatam concluſio infertur, quæ concluſio dein ſequentis ſyllogiſmi præmiſſa fit: atque ita in concatenatione ſyllogiſmorum, ſi opus fuerit, pergitur, donec ſyllogiſmo aliquo inferatur concluſio, quæ vel definitioni ſubjecti, vel propoſitioni veræ alicui contradicit.

SCH. Propoſitio eadem Mundus eſt contingens *indirecte, ſeu apogogice ita demonſtrabitur. Enuntiatio oppoſita*: Mundus neceſſario exiſtit. *Propoſitio major prima*: Quidquid neceſſario exiſtit, illud eſt ſimplex immutabile: *minor*: Mundus neceſſario exiſtit: *concluſio prima*: Ergo Mundus eſt ſimplex immutabile. *Propoſitio indubie vera*: Mundus eſt ens compoſitum. *Propoſitio major ſecunda*: Nullum ens compoſitum eſt ſimplex immutabile: *minor*: Mundus eſt ens compoſitum: *concluſio ſecunda*: Ergo Mundus non eſt ſimplex immutabile: *concluſio tertia*: Ergo Mundus eſt ſimplex immutabile, & non eſt ſimplex immutabile, quod eſt abſurdum: *concluſio quarta*: Ergo Mundus eſt contingens.

209.

209. Demonſtratione apogogica frequenter utuntur Mathematici. Vis ejus, atque efficacia ad hoc, ut propoſitio nobis certa ſit, ſatis ex hoc intelligitur: quia enim in illa oblatæ propoſitioni oppoſitam ſumimus, atque ex ea aliam, quæ veræ contradicit, eruimus; manifeſtum nobis fit, eam, quam ſumpſimus propoſitionem falſam eſſe. Enimvero cum hoc ipſo quod propoſitio aliqua falſa ſit, ejus contradictoria agnoſcatur eſſe vera (per princ. contradict.), liquet fore, ut ipſam propoſitionem, quam indirecte demonſtrabimus, veram eſſe agnoſcamus; eaque proinde nobis certa ſit.

SCH. Dum ſupra oſtendimus, ope demonſtrationis propoſitionem nobis fieri certam, de oſtenſiva, ut conſideranti patere debet, locuti ſumus. Hac vero propoſitione evincendum fuit, id ipſum etiam demonſtrationi apogogicæ convenire.

210. *Circulum* in demonſtrando *committere* dicitur, qui ad demonſtrandam e. g. propoſitionem A utitur propoſitione B, quæ tamen propoſitio B ſine propoſitione A demonſtrari nequit: ut, ſiquis propoſitionem: *DEUS eſt æternus* demonſtraret ex hac: *Quia DEUS eſt ens neceſſarium*; demonſtraturus autem, *DEUM eſſe ens neceſſarium* niteretur propoſitione: *Quod DEUS ſit æternus*. Facile autem quiſque intelliget, hujuſmodi circulum in demonſtratione ſollicite eſſe vitandum.

211. Omnium, quæ extant, facile curatiſſimæ demonſtrationes ſunt Geometrarum. Nihil proinde fere rectius is, qui quidem habitum demonſtrandi, hoc eſt, ſcientiam uſu ſibi comparare volet, acturus eſt, quam ſi in iis cum attentione ſedulus verſatus fuerit. Neque tamen puta-

verit,

verit, opus non esse, ut, quæ modo demonstrandi præcepta tradita sunt, sibi familiaria reddat.

CAPUT V.

De Fide.

212. SI propositionem quampiam pro vera habemus propter testimonium alterius, eam *credere* dicimur; ipseque assensus tali casu *Fides* appellatur. Hinc autem intelligimus, quæ ad fidem pertinent, ex parte jam a nobis alibi (Cap. II. Sect. hujus) pertractata esse. Quæ restant notatu digniora, hoc loco adferentur.

213. *Testimonium* est *Dictum, quo alter nobis propositionem aliquam veram esse affirmat*. Erit testimonium *verum*, si dicens convenientiam prædicati cum subjecto rite cognitam habuerit, veritatisque dicendæ amans fuerit; quæ duo si ignoramus, & tamen id, quod dicitur, verum esse censemus, seu credimus, fides nostra *cæca* dicitur; si vero novimus, *oculata*: eaque vel *certa*, vel *probabilis*: fides certa a testimonio dicentis, quem certo constat memoratis proprietatibus ornatum esse; probabilis a testimonio dicentis, cui eas inesse probabiliter novimus, pendet. (Vid. loc. cit.)

SCH. 1. *Facile quisque dispiciet, fidem etiam certam plurimum differre a cognitione scientifica; hanc enim in ipsa veritatis perspicientia positam esse novimus, in qua equidem fides etiam certa nequaquam posita esse deprehenditur; credimus quippe etiam propositionem, cujus prædicatum, quomodo per notionem subjecti determinetur, ignoramus. Illud autem quæri solet:*

solet: fieri-ne possit, ut cujus propositionis ipsam veritatem perspicimus, sive quam scimus, eandem etiam credere dicamur? Et vero id fieri re ipsa posse ita ostenditur. Fieri potest, ut eandem propositionem ex diverso capite, seu, ut ajunt, motivo veram esse agnoscamus: an non enim veritatis criterium aliud intrinsecum, aliud extrinsecum? Fac tibi perspecta esse in notione subjecti illa, per quæ prædicatum determinatur, tanquam ex criterio intrinseco propositionem veram esse agnosces. An non autem eandem propositionem alius quidam nec scientia, nec veracitate destitutus, veram esse affirmare potuit? Suppetet ergo etiam criterium extrinsecum, scilicet testimonium verum, unde illa vera esse agnoscatur. Utroque criterio cur non uti possis, cum utique unum alteri minime officiat? (30)

SCH. 2. Si autem quis dicat: Mens nostra non potest simul diversis actibus idem objectum attingere: cognitio scientifica, & fides sunt actus diversi; proindeque &c.

(30) Idipsum quibusdam potest exemplis confirmari. Datis duabus lineis tertiam proportionalem demonstrative invenit adolescens Geometra: de demonstratione non dubitat: at si præclarissimos audiat Geometras rectam, solidamque habere demonstrationem suam, quantum in sua scientia confirmatur? Idem evenit cum veritates aliquas de DEO naturali lumine demonstramus, easdemque divina confirmamus revelatione, seu auctoritate. Utiliter ergo potest interdum cum evidentia auctoritas conjungi ad idem comprobandum; tumque simul sunt scientia, & fides. Cum fides solitaria est, & fidem habet mens, & in statu fidei est, seu obscuritatis, quam fides per se non dispellit, ut Auctor in Scholio 3. notat: quum vero fides est cum scientia conjuncta, fidem habet quidem, non tamen in statu est fidei, seu obscuritatis, sed in statu evidentiæ, quam affert scientia.

Reſpondetur, tametſi dandum, quod mens noſtra non poſſit ſimul actibus diverſis oppoſitis, *cujuſmodi forent* affirmatio, *ac* negatio, *idem objectum attingere; nihil tamen obſtat, quo minus idem objectum actibus* non oppoſitis, *ut ut diverſis, attingat. Quippe, & quatenus propoſitionem ſcimus, & quatenus eam credimus, prædicatum ſubjecto convenire cogitamus.*

SCH. 3. Si inſtet: Eadem propoſitio non poteſt nobis eſſe evidens, & non evidens; deberet autem eſſe, ſi ſciri, & credi poſſet.

Reſp. Quoniam nihil inconveniens eſt, ut eadem res cum diverſis comparata nobis & magna, & parva ſit; cur non eadem propoſitio & evidens, & non evidens eſſe poſſit, ſi nempe ad diverſa motiva aſſentiendi referatur? Si inferat: Ergo in mente noſtra ſimul claritas, ſeu evidentia, & obſcuritas locum habere poterunt. Reſp. Æquivocatio in termino obſcuritas *latet. Fides non inducit menti obſcuritatem, ſed ſolum non valet eam removere, ſiqua antea fuit; quod ſi mens etiam evidentia, ac claritate potitur, hanc fides minime tollit. Itaque ſi in illa & cognitio ſcientifica, & fides ſimul fuerint, locum habebit evidentia; ſolumque poterit dici, quod, ſi pro ea locum haberet obſcuritas, illa per fidem non removeretur. Solet autem fidei, in quantum ipſa quidem menti evidentiam adferre, ac obſcuritatem removere non valet, tribui obſcuritas, quam* negativam *vocant: ut adeo pateat, formatam illationem ſic fore expediendam. In mente noſtra ſimul claritas, ſeu evidentia, & obſcuritas negativa locum habere poterunt, concedo; claritas, & obſcuritas poſitiva, quæ proprie in abſentia claritatis, ac evidentiæ ſita eſt, nego.*

214.

214. Propositiones, quæ nobis credendæ proponuntur, sunt vel singulares, e. g. exprimentes factum aliquod, vel universales. Sive autem PROPOSITIO fuerit singularis, sive universalis FIDEM MERERI NON POTERIT, SI IN EA PRÆDICATUM SUBJECTO REPUGNET. Fides namque est actus, quo propositionem cogitamus esse veram; propositio vero, in qua prædicatum subjecto repugnat, est falsa (§. 156.); quoniam itaque propositio falsa non meretur haberi pro vera, patet utique, propositionem, in qua prædicatum subjecto repugnat, non mereri fidem.

SCH. DEUS, quoniam omnium scientissimus æque, ac veritatis dicendæ amantissimus est (per princ. Theol.), affirmare non potest, quæ sibi repugnant. Fidem hinc ejus asserta merebuntur, quantumcunque illa humanam facultatem intelligendi superent. (31)

215. SI PROPOSITIONI, VEL DICTO CUIDAM UNIVERSALI FIDES HABENDA SIT, CONSTARE DEBET, AB AUCTORE EA, PER QUÆ PRÆDICATUM DETERMINATUR, RITE COGNITA, ATQUE PERSPECTA ESSE. Quippe propositionem crediturus, nisi quidem cœce, ac temere credere velit, nosse debet, quod dicens convenientiam prædicati cum subjecto rite cognoverit: in propositionibus universa-

(31) Quæ *supra rationem* dicantur, quæ *secundum rationem*, quæ *contra rationem* non inutile erit hèic loci exponere. Veritas omnis aliquas complectens ideas, quæ neque sensationibus acquiri, nec ex principiis lumine naturæ notis erui queunt, est supra rationem. Omnis veritas, quæ ideas tantum continet, circa quas mens potest abstrahendo, reflectendo &c., philosophari, est secundum rationem. Tandem omnis propositio, quæ contradicit veritati certæ, & evidenti est contra rationem. *Ita Auctor* speciminis originis &c.

libus, cum illæ ſub experientiam non cadant, convenientia prædicati cum ſubjecto tum cognoſcitur, quando ea perſpiciuntur, per quæ prædicatum determinatur: itaque in caſu, quo propoſitioni univerſali fides habenda eſt, conſtet, oportet, ab auctore illius ea, per quæ prædicatum determinatur, rite cognita eſſe.

SCH. Hinc ſcilicet enuntiata, quæ a Viro in ſcientia, ad quam illa pertinent, egregie verſato, artiſque demonſtrandi inſigniter perito prolata ſunt, ſat firmiter creduntur: ut enuntiata Geometrica Euclidis, & Archimedis. (32)

216. *Fides, quam teſtimonio de re quadam ſingulari tribuimus, hiſtorica* appellatur; e. g. dum credimus Ciceronem fuiſſe Conſulem romanum. Circa fidem hiſtoricam recte porro monenda veniunt ſequentia.

217. Quoniam ſolum teſtimonio illius recte fidem tribuimus, qui nec rei cognitione, nec veracitate deſtitutus ſit, in caſu, quo factum aliquod nobis relatum fuerit; attendere equidem oportebit, ſufficientem-ne illius notitiam referens habeat, aut habere potuerit? Quod quidem colligemus, ſi adverterimus: 1. An judicia ſoleat formare ſatis exacta? 2. An rem, quæ facta eſt, ejuſque circumſtantias ipſe cum debita attentione ſpectaverit? 3. An ſenſibus ſingulis, quibus factum obſervari potuit, rite, ac ſine vitio uſus fuerit? 4. An ſubreptionem in obſervando ſtu-

(32) Hinc etiam patet, quo ſint nonnullorum indoctorum contra Philoſophiam criminationes habendæ pretio; quum enim verſati in hac ſcientia non ſint, eorum jure ſpernitur judicium. Perbelle in iſtos quadrat II. Phædri fabella lib. IV.

ſtudioſe evitaverit, aditumque ideis deceptricibus, ac falſis ſollicite intercluſerit?

218. Videndum etiam erit, num narrans dicendæ veritatis ſatis amans cenſeri queat; cenſeri vero ſolet, quamdiu nec ex aliis caſibus eum fallaciis, ac mendaciis deditum eſſe conſtat, nec ſuppetunt, ex quibus in præſenti caſu a veritate dicenda deflexiſſe, recte putetur. Equidem ſi eum quodam partium ſtudio occupatum eſſe ex nonnullis circumſtantiis colligere licuerit, ſi ipſe metui, ſpei, odio, amori, ambitioni, vindictæ, aut alteri tali affectui in animo locum conceſſerit, jure verebimur, ne non aliter, quam quidem noverit, rem accidiſſe is dicat: nec adeo teſtimonium illius ſat dignum videri debebit, cui aſſenſus præbeatur.

SCH. Si e. g. homo gallicæ Nationis Germanos a Gallis inſigni clade affectos retulerit, nondum tuto factum credetur. Idem ſtatuendum, ſi famuli herorum, clientes patronorum &c. facta narraverint. Præcipue fidem, aſſenſumve omnium minime merebuntur, quæ ab Heterodoxis de romanis Pontificibus, de Viris aliis, qui doctrina, probitate, rebus geſtis ſe ſe Eccleſiæ cum primis commendarunt, ſæpenumero referuntur; inſigni namque adverſus illos odio id agi certiſſimum plane, atque exploratiſſimum eſt.

219. Qui factum aliquod nobis narrant, non ſemper ipſi præſentes illud ſpectarunt, ſed ab altero id ipſum audiverunt: hi vocantur *Teſtes auriti*; referentes autem ea, quæ ipſi præſentes ſenſu duce aſſecuti ſunt, *Teſtes oculati* appellantur.

220. Affatim equidem compertum habemus, quod, quæ auditu, & fama accipimus, a veri-

tate frequenter multum diſſentire ſoleant : hinc vero concludimus, exactiorem notitiam facti cujuſdam eſſe apud teſtem oculatum, quam apud teſtem auritum ; atque adeo plus illius, quam hujus teſtimonio eſſe deferendum. Quod ſi tamen teſtis auritus is fuerit, qui mentem teſtis oculati nec facti cognitione, nec veracitate deſtituti rite aſſecutus, veritatis dicendæ amans ſit, non erit, cur ejus teſtimonium teſtimonio teſtis oculati præferamus.

221. Ut teſtis auritus mentem teſtis oculati rite aſſecutus putari queat, opus utique fuerit, ut teſtis oculatus referens factum uſus ſit terminis fixis, ac determinatis: terminos enim vagos maxime facere, ut quis mentem alterius non aſſequatur, alibi docuimus (§. 34.).

222. Tum neceſſe etiam fuerit, ut teſtis auritus adverterit, an non referens proprium judicium cum facto confuderit? Quo ſane caſu is nequaquam ipſius facti narrandi, ſed alterius rei notitiam acquiſiviſſet.

SCH. Si Cajus doceat, quomodo per ſyſtema Copernicanum tanquam hypotheſim explicentur progreſſiones, ſtationes, ac retrogradationes Planetarum: Sempronius vero, qui ſibi perſuadet ſyſtema Copernicanum cum S. Scriptura conſiſtere non poſſe, factum illud Caji narraturus dicat, eum docere talia, quæ cum S. Scriptura pugnant; is quidem ſuum judicium cum facto alterius confundit, nec ex ejus narratione veritatem facti aſſequi licuerit.

223. In æſtimanda veritate, atque probabilitate narrationis haud immerito ratio habenda eſt temporis, ex quo vel teſtis oculatus factum ſpectavit, vel teſtis auritus illud audivit : cum enim

ſuc-

ſucceſſu temporis facile quædam oblivioni dentur, fieri ſane poterit, ut, qui ex intervallo aliquid, quod olim vel præſens ſenſu aſſecutus eſt, vel ab alio audivit, narrat, aliquas circumſtantias jam non norit. Hinc quoniam tali caſu in teſte ſufficiens notitia facti cenſebitur deſiderari, ejus narratio jure ſuſpecta erit.

SCH. Si quis ea, quæ ſenſu præſens aſſecutus eſt, propriis ſtatim verbis conſignavit, vel frequentius aliis narravit, tum, etſi ex intervallo illa nobis retulerit, cenſere poterimus, ei plenam notitiam adhuc ſuppetere: ad hujuſmodi proinde caſum, quæ §. præſ. adduximus, non pertinent.

224. Quoniam non raro accidere ſolet, ut cum plures ejusdem facti notitiam habent, aut habere cenſentur, aliqui id ipſum narrent, aliqui taceant, itemque ut aliqui prorſus ſibi oppoſita referant; ſane regulis quibuſdam opus eſt, ad quas in aſſenſu præbendo utiliter reſpiciamus: præcipuæ exiſtimantur ſequentes.

I. Quod omnes, aut plures teſtes coævi, atque oculati requiſitis ad teſtandum dotibus non deſtituti narrant, omnino credendum, ac recipiendum eſt; tametſi etiam unus, pluresve, qui requiſitis dotibus carent, contradixerint, aut unus aliquis coævus tacuerit.

II. Quod pauci teſtes coævi referunt, ſi modo reliqui non contradicant, vero proximum haberi poteſt.

III. In caſu, quo aliqui ſibi oppoſita narrant, expendendæ ſunt dotes ad teſtandum requiſitæ, ejusque teſtimonio ſubſcribendum, qui excellere deprehenditur.

IV. Si coævi, atque oculati deficiant, poſteri tamen conſentiant, factum probabiliter creditur; non item ſi diſſentiant.

V. Si, qui extant coævi, atque oculati omnes taceant, ſuſpectus eſt quantuscunque poſterorum conſenſus.

SCH. Me non monente quiſque intellexerit, quæ adhuc allata ſunt, cum primis uſum ſuum habitura in legendis, atque dijudicandis libris, de quibus tamen ſpeciatim paullo inferius.

CAPUT VI.

De Opinione.

225. TAmetſi tum experientia, tum ratiocinium, tum denique auctoritas ea ſunt, quibus ad certitudinem mens noſtra pervenire poteſt, ut quidem ex dictis conficitur; tamen frequentius ultra probabilitatis limites eidem progredi non licere, ſatis exploratum, compertumque habetur: quamdiu autem propoſitio ſolum nobis probabilis eſt, *Opinio* habetur.

226. Quoniam itaque ſæpe numero fieri poterit, ut vel in formandis judiciis intuitivis eorum, quæ quidem circa ea partim jam præſcripta ſunt, partim ſubinde adhuc præſcribentur, ratio ſatis non habeatur; vel in probandis propoſitionibus principia adhibeantur non ſufficienter certa, atque firma; vel denique ut de illius, cujus ſententiam amplectendam ducimus, auctoritate, hoc eſt ſcientia, & veracitate non perinde, ac opus foret, conſtet; patet jam, quibus ſpeciatim caſibus propoſitio ad ſummum probabilis eſſe, opinioque adeo locum habere poterit.

227. Propoſitio eſt altera probabilior, in qua plura ſuppetunt, unde ea vera eſſe agnoſcitur, (§. 187.): nemo non igitur concedet, judicium illud

illud intuitivum fore probabilius, in quo plurium ex iis, quæ præſcripta ſunt, ratio fuerit habita.

SCH. Cajus organa ſenſoria integra, ac valentia habeat, mente quoque ſit ſatis tranquilla, ac ſedata; ejus de objecto quodam judicium intuitivum probabilius equidem erit, quam de eodem futurum eſt judicium e. g. Sempronii, cujus quidem organa fuerint integra, mens autem aliquantum commota, atque incitata.

228. Propoſitio evadit vera, quatenus ſubjecto prædicatum tribuitur, cujus in notione ſubjecti ſufficiens ratio continetur (§. 155.), ſeu quatenus ſubjecto aliquid, vel aliqua inſunt, aut adſunt, ex quibus intelligitur prædicatum ſubjecto convenienter tribui: dici ea recte poſſunt *Requiſita ad veritatem*. Ex quo autem porro facile colligere licet.

I. Si prædicatum ſubjecto tributum fuerit ob quædam ſolum requiſita ad veritatem propoſitionem non fore certam, ſed ſolum probabilem; hoc tamen probabiliorem, quo plura requiſita ad veritatem adfuerint.

II. Quoniam requiſita ad id, ut definitum ſubjecto tribui poſſit, ſunt notæ definitionem ingredientes, propoſitio ſaltem probabilis erit, ſi ob aliquas tantum notas definitum ſubjecto tributum fuerit.

III. Similiter cum ad hoc, ut de ſubjecto determinatus quidam modus rectæ prædicetur, ſæpe plures conditiones eidem adjectas eſſe oporteat, propoſitio probabilis habebitur, ſi ob unam aliquam, alteramve conditionem ſubjecto adjectam prædicatum eidem tribueris, in caſu, quo plures adeſſe oporteret. SCH. Exemplis iſta ſtabilire haud difficile fuerit.

Ut

Ut Cajum adoleſcentem affirmemus fore doctum; ad veritatem hujus propoſitionis plura certe requiruntur, puta, diſcendi cupiditas, ingenium bellum, ſincera inſtitutio, ſubſidia ſufficientia &c.: fac aliqua ſolum tibi conſtare, e. g. diſcendi cupiditatem, ac ingenium bellum, non item ſinceram ac fidelem inſtitutionem; equidem non niſi probabile judicium erit, quo Cajum fore doctum aſſeverabis: probabilius tamen illud futurum eſt, ſi præter diſcendi cupiditatem, & ingenii præſtantiam, etiam recta inſtitutio conſtiterit, ac forte non niſi quædam ſubſidia opportuniora te latuerint. Illud ad I.

Quæritur e. g. ſit-ne propoſita quædam figura Quadratum? Notæ ingredientes definitionem quadrati ſunt 1. *quatuor latera, eaque* 2. *æqualia, ac* 3. *ad angulum rectum ſecum conjuncta: quod ſi figuram dixeris quadratum propterea, quod in ea deprehendas quatuor latera, eaque æqualia, ad angulos rectos autem non adverteris, non niſi probabile judicium tuum erit. Hoc ad II.*

Poterit de vitro dici, quod illius ope objecta exilia clare, ac diſtincte videantur; at nempe, ſi debita inſtructum figura, ſi rite politum fuerit &c.: niſi proinde omnium harum conditionum rationem habueris, non niſi probabiliter illud aſſeverabis. Id quod ad III. ſpectat.

229. In ſyllogiſmo demonſtrativo præmiſſæ ſunt propoſitiones certæ, ex iiſque concluſio ſequitur certa (§. 205.). Syllogiſmo demonſtrativo opponitur probabilis, in quo præmiſſæ propoſitiones non niſi probabiles ſunt. In ejuſmodi autem ſyllogiſmo probabili ipſam concluſionem non niſi probabilem eſſe, haud difficulter conficitur ex eo, quod convenientia prædicati cum ſubjecto in concluſione de-

pen-

pendeat a convenientia prædicati cum ſubjecto in præmiſſis (§. 149.); quod ſi ergo hæc convenientia certa non eſt, ſed ſolum probabilis, etiam in concluſione non niſi probabilis erit. Itaque porro clarum etiam eſſe poteſt, etſi plures ſyllogiſmi probabiles concatenati fuerint, concluſionem tamen non niſi probabilem tandem ſecuturam eſſe.

230. SI QUOD RATIONEM SUFFICIENTEM PRÆDICATI TRIBUENDI CONTINET SUBJECTO SOLUM PROBABILITER CONVENIT, IPSA PROPOSITIO SOLUM PROBABILIS ERIT. Ejuſmodi enim propoſitionem probaturi ſyllogiſmum formare non poterimus, niſi probabilem, ſeu cujus præmiſſæ ſolum probabiles ſunt, ipſaque hæc propoſitio hujus probabilis ſyllogiſmi concluſio futura eſt: enimvero concluſio in ſyllogiſmo probabili non niſi probabilis eſt (§. præced.): ipſa ergo propoſitio tali caſu non niſi probabilis erit.

SCH. Paſſim obſervant Eruditi, propoſitiones quaſdam, quæ formantur in Matheſi mixta, ſeu applicata, e. g. in Aſtronomia, Aerometria, Hydroſtatica, Hydraulica &c. ſatis certas non eſſe, ſed ſolum probabiles: id vero non alio ex capite accidit, quam quia illa, ex quibus in Matheſi pura propoſitio aliqua legitime demonſtrari poteſt, in Matheſi mixta ſolum probabiliter ad aliquod ſubjectum applicantur; unde omnino non alia probatio fluere poteſt, quam cujus præmiſſæ, ipſaque adeo concluſio probabiles ſint.

231. Propoſitio ex præmiſſis incertis, tametſi legitima argumentatione deducta, non immerito dicitur *inſufficienter probata*. Notari autem porro illud oportet, quoniam propoſitio incerta vel probabilis, vel improbabilis eſt (§. 186., & 189.), perinde habere non licere, ſive propoſitio ex præ-

præmiſſis incertis, unaque improbabilibus, quæ adeo *precariæ* dici ſolent, ſive ex præmiſſis incertis quidem, attamen probābilibus deducatur: contra ſic potius ſtatuendum erit: propoſitionem priori caſu ne quidem probabilem futuram, tametſi futura ſit caſu poſteriore.

SCH. Haud paucorum eſt nunc hoc, nunc illud ſumere, ex eoque aliud deducere, ac ſtatuere, quin tamen illud, quod ſumunt, aut poſſint, aut ſoleant vel uno aliquo argumento ſtabilire. Quod quidem ſi de veritate judicaturi non attenderimus, vix quidam dixerit, quam ſæpe falſa pro veris habituri ſimus.

232. In numerum propoſitionum inſufficienter probatarum referendæ veniunt hypotheſes; ſunt quippe illud, quod ſine demonſtratione ſumitur. Hypotheſim autem recte probabilem exiſtimabimus, ſi conſtiterit, eam perſpectis phœnomenis ſatisfacere: ex adverſo illa precaria, atque improbabilis nobis erit, quam abſque eo, ut ratio explicandorum phœnomenorum haberetur, natam fuiſſe animadvertemus. Quod ſi vero plane vel unum aliquod phœnomenon hypotheſi repugnare viſum fuerit, ea non precaria modo, ac improbabilis, ſed inſuper falſa erit.

SCH. Hæc de hypotheſibus rectiſſime ſtatui facili negotio quis intelliget advertens; ex hoc, quod hypotheſes reddendis phœnomenorum rationibus deſervire debeant, earundem veritatem ab ipſis phœnomenis pendere. Ita ſane phœnomena ſunt requiſita ad veritatem hypotheſeos cujuſdam; hinc quo iſta pluribus phœnomenis ſatisfecerit, eo plura ad veritatem requiſita continebit, magisque adeo probabilis erit: contra cum deficientibus phœnomenis, quæ ex ea explicentur, ipſa adeo requiſita ad veritatem defutura ſint, utique hy-

hypothesis jure precaria, & improbabilis reputabitur. Denique si quod phœnomenon hypothesi repugnare visum fuerit, eam plane falsam fore liquet inde, quod repugnantia (per defin.) simul esse non possint; unde si phœnomenon fuerit, id, quod in hypothesi sumitur, non erit, seu ipsa hypothesis falsa erit.

CAPUT VII.

De Errore.

233. SIquis propositionem veram pro falsa habet, vel viciſſim falsam pro vera, *errare* dicitur: est adeoque *Error assensus, qui propositioni falsæ præbetur.*

SCH. Falsa est e. g. hæc propositio: Materia potest cogitare. *Si ergo quis illam pro vera habuerit, affirmaveritque*, materiam posse cogitare, *errabit.*

234. Rationes, ob quas propositioni cuidam assensum præbemus, sunt vel intrinsecæ, vel extrinsecæ, ut ex dictis colligitur: illæ scilicet ex notione subjecti desumuntur; hæ vero aliunde petuntur. Quod si assensus ante præbetur, quam rationes assensus rite perspiciantur, vitium committitur, quod *Præcipitantia in judicando* audit. Idem vitium committitur, si propositionem pro vera, vel falsa habemus, antequam satis cognoscamus, quid termino subjecti, quidve termino prædicati indigitetur.

SCH. Præcipitaret, seu deproperaret judicium, qui, quod Sol sub imagine, seu sub specie disci lucidi illi exhibeatur, verum putaret, Solem esse discum lucidum; *cum potius attentionem adhibens rationem deprehensurus sit, cur verum putet, eum sphæram lucidam esse. Similiter*

præ-

præcipitaret judicium, qui falſum exiſtimaret, omne corpus gaudere vi inertiæ, *dum ipſe non novit, quid nomine vis inertiæ indicetur.*

235. Vulgo tantum non perpetuo judicia præcipitantur, eo quod pigeat diſcuſſione aliqua uti, rectene propoſitio probetur, vel dicentis auctoritas fidei faciendæ ſufficiat? Quod ſi cum Mathematicis eouſque aſſenſum ſuſpenſuri ſumus, ſeu quod Carteſius ait, dubitabimus, dum id, quod aſſeritur, ſolide, ſufficienterque probatum videamus, vulgi conſuetudinem tandem exuiſſe videbimur.

236. Vitium præcipitantiæ in judicando non vitantes frequentiſſime errare quis ambigat? Eſt autem error per præcipitantiam in judicando commiſſus id, quod *Præjudicium* appellamus.

SCH. Præjudiciorum ſpecies alii alias conſtituunt, quodlibetque ex præjudiciis ſuo nomine compellant; de quibus equidem in prælectionibus. Juverit tamen circa præjudicia hic etiam ſequentia annotaſſe. (33)

237.

---

(33) Sunt, qui ad tollenda præjudicia de rebus omnibus eſſe volunt dubitandum, ne iis quidem exceptis veritatibus, quæ omnium manifeſtiſſimæ habentur, atque clariſſimæ.

1. Hanc philoſophandi methodum a Verulamio, & Carteſio in Scholas eſſe invectam conſentiunt viri graviſſimi, quam rejicit laudatus Auctor *ſpeciminis originis &c.* duabus potiſſimum de cauſſis. 1. Ut præjudicia falſa, quæ ſunt erroris occaſiones, tollantur, ideæ vagæ, & indeterminatæ debent ad ideas claras, & determinatas revocari: atqui hoc dubitatione carteſiana obtineri non poteſt: ergo &c. Min. prob. Dubitatio carteſiana non emendat ideas, ſed tantum judicia ſuſpendit; nec enim dubitando novæ acquiruntur ideæ: ergo dubitatione carteſiana ideæ vagæ, & indeterminatæ non corriguntur, nec ad ideas claras, & diſtinctas revocantur:

237. Ante integrum uſum rationis homines ignorant ea, quæ vel ad certitudinem, vel ad probabilitatem judiciorum tum intuitivorum, tum diſcurſivorum, itemque narrationum requiruntur: quo-

---

tur: ergo methodus carteſiana eſt inutilis. 2. Methodus carteſiana ab homine ſanæ mentis non poteſt ad praxim reduci; ſi enim ideæ familiares, puta ideæ numerorum, & bene determinatæ, ad invicem comparentur, impoſſibile eſt de illis ſerio dubitare.

2. Addi poteſt: ſi ea poſſibilis eſſet generalis dubitatio, nedum inutilis, ut oſtenſum eſt, verum etiam nociva illa foret. Mens enim in generali dubitatione conſtituta, omnibuſque vacua principiis non magis ad verum, quam inclinat ad falſum: eſſet ea quaſi *tabula raſa*, ut vulgo dicitur, in qua nullum omnino veritatis appareret falſitatiſque veſtigium. Quomodo igitur a dubitatione liberabitur? Undenam principia certa deſumet, & indubitata, quibus ad certam veritatis perveniat agnitionem? De omnibus dubitabit? Principia ergo evidentiſſima tanquam dubia habebit; immo nec ſe exiſtere ſciet certo. Quo ergo ſe vertet, quo ſe recipiet, ut a fluctibus dubitationis tandem emergat? An non in generali dubitatione erit illi ſemper perſeverandum, ſi eam ſemel admiſerit?

3. Liceat hoc etiam loco quaſdam ſyllogiſtice proponere, atque diluere objectiones, ut argumentationi tirones aſſueſcant. Inquiunt ergo Carteſiani: Ea methodus a veritatis cupido eſt tenenda, qua omnia tolluntur impedimenta, queis abs invenienda veritate præpedimur: at hujuſcemodi methodus ſola eſt generalis dubitatio: ergo &c. Min. prob. Hæc impedimenta ſunt illa præjudicia, quibus ab infantia imbuitur mens noſtra, nulloque præmiſſo examine occupatur: atqui hæc removeri omnia nequeunt, niſi generalis quædam præcedat animi ſuſpenſio, qua de omnibus dubitemus; ſi enim vel unicum retineamus illud fortaſſe falſum eſt: ergo &c.

4. Reſp. Nego min. Ad probationem diſtinguo majorem; impedimenta ſunt præjudicia falſa, concedo ma.; præjudicia vera, nego ma.; & diſtinguo pariter minorem

quoniam tamen compluribus aſſenſum præbent, facile conficitur, eos tunc judicia præcipitare. Præjudicia inde orta dicuntur *Præjudicia infantiæ.* Hanc ob rem ſucceſſu temporis eo eluctati, ut quod

---

rem: atqui hæc, ideſt præjudicia falſa removeri omnia nequeunt, niſi &c., nego min.; præjudicia falſa ſimul & vera removeri &c., concedo min.; & nego conſequentiam. Præjudicia ſunt quædam anticipata judicia, quorum alia ſunt vera, alia falſa. Falſa conſecutioni opponuntur veritatis, non item vera; immo quædam, ex his ita per ſe ſe lucent, ut aſſenſum a mente noſtra immediate extorqueant: non ergo rejicienda hæc ſimul cum falſis, immo retinenda, ut ex illis, veluti ex lydio lapide, quæ falſa ſunt dignoſcantur, atque rejiciantur. „ Philoſophi, qui de rebus omnibus dubitandum „ putant, ut præjudicia tollant, *inquit appoſite P. Sicco* „ *in ſuis Logicæ, & Metaphyſicæ Inſtit. pag.* 186., recte „ ſimiles eſſe dicuntur Medicis illis, qui ut humores „ malos ab humano corpore expellant, animam ipſam „ expellunt „.

5. At inſtat Carteſius *apud Claubergium de dubitatione carteſiana cap.* 9. „ Siquas veras opiniones, antequam „ ſerio philoſophemur, habeamus, illæ tam multis a- „ liis vel falſis, vel ſaltem dubiis ſunt permixtæ, ut „ ad illas ab his ſecernendas optimum ſit omnes initio „ rejicere, ſive nihil plane ex iis non abdicare, ut po- „ ſtea commodius, quæ fuerant veræ, agnoſci, vel „ novæ inveniri, ac ſolæ veræ admitti poſſint. Quod „ plane idem eſt, ac ſi dixiſſem, ad cavendum, ne in „ caniſtro vel corbe pomis pleno aliqua corrupta ha- „ berentur, principio omnia eſſe effundenda, nihilque „ prorſus in eo relinquendum, & deinde ea ſola vel „ reſumenda, vel aliunde aſſumenda, in quibus nullum „ vitium eſſe cognoſceretur „. Ex quibus porro poteſt quis argumentari: Quamvis ex præjudiciis quædam ſint falſa, & quædam vera; ita tamen invicem ſunt permixta, ut nequeant iſta ab illis diſcerni, niſi generali quadam dubitatione omnia prius veluti effundantur, projicianturque: nulla ergo eſt allata n. 4. reſponſio. Probatur antecedens paritate pomorum &c.

6.

quod olim ignorarunt, jam animo comprehendant, judicia sua memoriæ infixa rigide examinent, num errore vacent, necne?

6. Resp. Nego antecedens: ad probationem nego paritatem; nam ideo sunt omnia poma initio e canistro effundenda, quia quamdiu sunt in canistro corrupta ab optimis occultantur, nec corrupta ab optimis secernere absque canistri inversione oculus potest. At præjudicia vera, quamvis cum falsis esse dicantur permixta, sua tam vivide mentem percellunt perspicuitate, ac veluti feriunt, ut eidem innotescant per se se; tamque stupidus esse potest nemo, qui ad illa animum advertens eorundem evidentiam mentis solo, simplicique intuitu non deprehendat.

7. Argumentum aliud legitur in Epistola, quæ in Internuntiis Litterariis Florentinis 1761. pro Appendice posita est. En illud in soritis forma. Res philosophice cognosci non possunt, nisi ope evidentiæ: evidentia acquiri nequit absque demonstratione: demonstratio non datur sine principiis evidentibus: principiorum evidentia non obtinetur absque investigatione: rei investigatio præsupponit dubitationem: ergo, ut docti, & sapientes evadamus, prius de omnibus dubitare necesse est.

8. Distinguo secundam soritis propositionem: evidentia intuitiva, sive immediata acquiri nequit absque demonstratione, nego propositionem; evidentia mediata acquiri non potest absque demonstratione, concedo propositionem. Duplex propositionum evidentia a Logicis distinguitur, *immediata*, atque *mediata*. Propositiones evidentes immediate, quæ etiam dicuntur *per se notæ*, *axiomata*, *proloquia*, *sunt illæ*, *quarum veritas ex ipsis terminis patet*: propositiones vero evidentes tantum mediate eæ omnes *sunt*, *quæ ex aliis per se notis manifeste deducuntur*. Hinc ad quartam propositionem respondetur, principiorum evidentiam facile obtineri, si nimirum mens propriam aciem in propositum dirigat principium; nec enim opus est investigatione veritatis, ubi ipsa lucet veritas splendidissime. Plura de hac quæstione videsis apud Gassendum in Epistola ad Cartesium.

SCH. Judiciis in prima quaſi ætate formatis ſubinde utimur in aliis veritatibus cognoſcendis, eaque etiam ad praxim in vita communi applicamus; quod ſi ergo in illis fuerit error per præcipitantiam commiſſus, neque tamen correctus, utique & a vero removebimur, eumque, quem forte ſperaturi ſumus, rerum eventum minime conſequemur.

238. Præcipitamus judicium intuitivum, ſi eorum, quæ circa hæc judicia præſcribuntur, rationem ſatis non habemus. Error in tali judicio commiſſus *Præjudicium ſenſus* audit. Itaque vitaturus præjudicium ſenſus regulas de formandis judiciis intuitivis exacte ſibi perſpectas reddat, neque vel ab una deflectere fas ſibi putet.

SCH. Habent judicia intuitiva maximum uſum etiam in Diſciplinis: plurimum proinde noſtra retulerit, præjudicium ſenſus a legitimo judicio intuitivo rite diſcernere, illoque adeo excluſo non niſi iſtud admittere.

239. Homines quantumvis in arte ſua verſati, experientia teſte, ſæpenumero errant: quod ſi nihilominus ſimpliciter ſumimus, ea, quæ ab his affirmantur, vera eſſe; ac contra falſa, quæ ab iiſdem negantur; judicium hoc erroneum per præcipitantiam formatur, appellaturque *Præjudicium auctoritatis*. Ex eo autem in particulari ſtatuit, qui aliquid affirmans, vel negans, rationem aliam aſſignare non valet, quam quia alius id affirmavit, vel negavit. Declinaturus præjudicium auctoritatis cum Mathematicis operam det, ut ne ulli propoſitioni aſſenſum præbeat, niſi ſolide probatæ, ſeu demonſtratæ.

SCH. Non hic univerſim docere audemus, nihil tribuendum eſſe auctoritati humanæ: ſane in vita communi,

muni, in qua cognitione probabili penitus carere non poſſumus, neceſſe eſt eidem locum ſubinde concedere. At ſecus ſentiendum de Diſciplinis, quas cum methodo ſcientifica, ſeu demonſtrativa pertractari deceat, in iis non licebit aliquam propoſitionem propter alicujus teſtimonium ita recipere, ut non potius ad intrinſecas rationes, ob quas vera cenſeri poſſit, reſpiciatur.

240. Sunt, qui ex eo, quod forte ſemel, atque iterum, cum ſcilicet debitam attentionem adhiberent, veritatem feliciter aſſecuti ſint, ita de viribus ſuis confidenter ſtatuunt, ut ſe errare non poſſe exiſtiment. Hos per præcipitantiam erronee judicare quis non cognoſcit? Præjudicium hujuſmodi *Præjudicium nimiæ confidentiæ vocatur.* In particulari ex eo judicat, qui aſſerens aliquid, vel negans, aliam rationem non adfert, quam quod ſibi propter neſcio quam confuſam rei illius notionem, aut principium quoddam non niſi precario ſumptum, id aſſerendum, vel negandum videatur. Amoliturus a ſe præjudicium nimiæ confidentiæ non modo factu utile, ſed tantum non neceſſarium ducat judiciis analyſim adhibere; hoc eſt, ea in ſua principia reſolvere: ex adhibita namque analyſi, ſeu reſolutione diſcet, uſuſne ſit notionibus legitimis, principiisque talibus, quæ & ipſa certa ſint, & ex quibus certo ſequi aliquid queat.

SCH. 1. Haud raro in hoc præjudicium confidentiæ ipſos eos incidere viderimus, qui Eruditi habentur. Quam ſæpe aliquis quædam adfert, docetque, quæ ipſe quidem pro certiſſimis habet, haberique cupit; ea tamen, ſi curatiori analyſi ſubjiciuntur, non niſi ſpeciem aliquam probabilitatis continere obſervantur?

SCH. 2. De præcipuis quibusdam errorum generibus

adhuc egimus: ſunt alia præter illa, quæ penitus præterire nefas fuerit.

241. Quemadmodum legitima, ſinceraque argumentatione veram rerum cognitionem adipiſcimur, ita vitioſa in errorem nos inducit. Eſt autem argumentatio vitioſa vel ratione propoſitionum præmiſſarum, ſive *materiæ*, vel ratione modi concludendi, ſive *formæ*. In argumentatione vitioſa ratione materiæ una, vel utraque præmiſſa falſa adhibetur; in argumentatione vitioſa ratione formæ a ſtabilitis regulis Dictum de omni, & nullo rite applicandi receditur.

242. SI IN SYLLOGISMO UNA PRÆMISSARUM FUERIT FALSA, ETSI IS REGULIS NON SIT CONTRARIUS, *ſeu, quod ajunt, in forma non peccet*, PER EUM IN ERROREM DEDUCIMUR. In hujusmodi enim syllogiſmo concluſio indubitate falſa eſt; ſi tamen illi propterea, quod ex præmiſſis legitime deducatur, aſſenſum præbemus, propoſitionem falſam pro vera habemus: in errorem proinde inducimur.

SCH. 1. *Non peccat in forma iſte e. g. ſyllogiſmus:* Quidquid exiſtit, neceſſario exiſtit: mundus exiſtit: ergo mundus neceſſario exiſtit. *At quoniam propoſitio major falſa eſt, aſſentiens concluſioni in errorem incidit.*

SCH. 2. *Cel. D. de Tſchirnhauſen nullam pene formæ, vi cujus concluditur, rationem habens, cenſet, quemvis errorem in argumentando inde proficiſci, quod pro iiſdem habeantur, quæ re ipſa diverſa ſunt, cum ſcilicet per confuſam ſenſationem, vel imaginationem diverſitas non advertitur: contra vero cum Cl. Vvolfio merito obſervant alii, etiam errorem in argumenta-*

ta-

tatione vitioſa ratione materiæ non vitari, ſi notionibus deceptricibus tanquam veris utamur.

Scilicet quod cenſuit Tſchirnhauſius, ſuſtineri poſſet, ſi non niſi probationes a poſteriori, in quibus judicia intuitiva principiorum locum obtinent, adhiberentur. Sed enim cum multa probentur a priori, notionum oportet rationem haberi, ſint-ne illæ ex conjunctione e. g. ſibi oppoſitorum deceptrices, nec ne? Ita quoniam notio deceptrix eſt compoſitum neceſſarium, *in errorem inducemur hac argumentatione:* Omne, quod in exiſtendo non dependet ab alio, æternum eſt: compoſitum neceſſarium non dependet in exiſtendo ab alio: ergo compoſitum neceſſarium eſt æternum: *quod ipſum porro ſic ſtabilitur: ſi in argumentatione utimur notionibus deceptricibus tanquam veris, ex iis propoſitiones formamus, quæ præmiſſarum munere funguntur; ſunt autem hujuſmodi propoſitiones ex notionibus deceptricibus formatæ falſæ propterea, quod ſi veræ eſſent, illis notio vera reſpondere deberet* (§. 170.); *cum porro in argumentatione, cujus præmiſſæ ſunt falſæ, etiam concluſio falſa ſit, liquet ſane, in argumentatione, in qua notionibus deceptricibus tanquam veris utimur, errori locum fieri.*

Non inutiliter hic monuerim, perquam frequenter accidere, ut quodam memoriæ lapſu quis propoſitionis veræ ſatis non recordetur, eique in argumentando falſam ſubſtituat; quam adeo pro vera habens, indubitate in errorem incidit. Errori hujuſmodi, vel ideo, quia lapſus memoriæ facilis eſt, quemadmodum in calculis ſatis apparet, facile venia eſt tribuenda; nec, qui in eum prolapſus eſt, continuo inſcitiæ arguendus.

243. Eſt argumentatio vitioſa ratione formæ,

ſi in ea a regulis applicandi Dictum de omni, vel nullo receditur (§. 241.) : ejusmodi autem receſſione in errorem nos deduci ita evincitur : Veritas propoſitionis probatæ, qua (N. B.) probata cenſeri debet, pendet tum a veritate propoſitionum, quæ præmiſſarum munus obeunt, tum a recta terminorum, ac propoſitionum diſpoſitione, id quod alibi jam monuimus ; deficiente proinde alterutro, propoſitio probata, qua talis cenſeri debet, vera non erit : porro quatenus a ſtabilitis regulis applicandi Dictum de omni, vel nullo receditur, recta diſpoſitio terminorum, ac propoſitionum deficit ; vera proinde concluſio non erit : conſequenter ejusmodi argumentatione in errorem inducimur.

SCH. Si propoſitio vel experientia, vel revelatione, vel alia quavis legitima ratione innotuit, vel innoteſcere poteſt, opus non erit eam tanquam ex præſenti probatione præciſe innoteſcentem ſpectare ; hinc fieri poterit, ut eidem aſſenſum præbens in errorem non incidat ; ut in hoc vitioſo ſyllogiſmo : Nullum ens contingens eſt æternum : DEUS non eſt ens contingens : ergo DEUS eſt æternus. *Cujuſmodi adeo caſus dictis noſtris non obſtat.*

244. *Argumentatio, in qua forma vitioſa aliquo modo occulta latet, Sophiſma* dicitur : *ea* vero, *in qua forma vitioſa involuta non latet, Paralogiſmus* audit. Exemplum paralogismi præbet ſyllogiſmus vitioſus præc. Schol. Univerſim autem multiplici ex capite forma argumentationis evadit vitioſa. Præcipua quædam a nobis hic adferentur.

245. SI IN UNA SYLLOGISMI PROPOSITIONE TERMINO ALICUI ALIUS SIGNIFICATUS TRIBUATUR, QUAM IN ALTERA, ARGUMENTATIO VITIO FORMÆ LABO-

LABORAT. In hujusmodi enim ſyllogiſmo idem terminus duobus æquipollet ; quare cum præter illum alii duo diverſi termini eundem ſyllogiſmum ingrediantur , is re ipſa quatuor terminis conſtat : vitio formæ proinde laborat (§. 103.).

SCH. Siquis e. g. ita argumentatus fuerit : Qui videt, oculis inſtructus eſt : DEUS omnia videt : ergo DEUS oculis inſtructus eſt, *ſophiſma quatuor terminorum condet, ob duplicem ſignificatum in verbo* videt *latentem. Dicitur hujusmodi ſophiſma* Fallacia æquivocationis, *ſeu* homonymiæ ; *cui non multum abſimile eſt, quod ex* æquivocatione phraſeos *oritur, dum ob varium ſignificatum, ac ſenſum integræ cujuſdam ſententiæ ſyllogiſmus plures quam tres præciſe terminos continet : e. g.* Qui amat animam ſuam, perdet eam : utens medicina , dum morbo laborat , amat animam ſuam : ergo perdet eam .

246. SI IDEM ALIQUIS TERMINUS IN PROPOSITIONIBUS , EX QUIBUS SYLLOGISMUS CONSTAT, NUNC AD ISTUM , NUNC AD ALIUM TERMINUM REFERTUR , ARGUMENTATIONIS FORMA VITIOSA EST . Etenim in hujuſmodi caſu terminus, qui in diverſis propoſitionibus idem eſſe debebat, diverſus eſt ; conſequenter plures, quam tres termini ſyllogiſmum ingrediuntur : eſtque adeo argumentationis forma vitioſa .

SCH. In hac e. g. argumentatione : Qui habet potentiam ſcribendi , poteſt ſcribere : Cajus , dum dormit , habet potentiam ſcribendi : ergo poteſt ſcribere, dum dormit, *voces* dum dormit *in propoſitione minori referuntur ad ſubjectum* Cajus , *in concluſione ad prædicatum , quod eſt* , poſſe ſcribere : *ſunt adeo quatuor termini in ſyllogiſmo. In tali caſu con-*

junguntur, *quæ erant disjungenda*: *hinc ſophiſma hujuſmodi audit* Fallacia compoſitionis. *Simile huic ſophiſmati eſt illud*, *quod* Fallaciam diviſionis *appellant*.

247. SI, QUOD CONVENIT SPECIEI QUA TALI, TRIBUITUR GENERI, AUT ALTERI SPECIEI SUB GENERE EODEM CONTENTÆ, FORMA ARGUMENTATIONIS VITIO LABORAT, ET ERROREM PARIT. Vi Dicti de omni ſubjectum concluſionis ſub termino medio contineri debet: enimvero ſi, quod convenit ſpeciei qua tali, generi, aut alteri ſpeciei ſub genere contentæ tribuitur, genus, vel altera illa ſpecies ſubjectum concluſionis evadit, terminique medii munus obit ſpecies: quoniam autem nec genus, nec altera ſpecies ſub ſpecie qua tali continetur, patet, argumentationem hujuſmodi Dicto de omni contrariam eſſe, atque adeo in forma peccare (§. 110.): conſequenter errorem parere (§. 233.).

SCH. 1. *E. g. Ex eo*, *quod triangulum iſoſceles duos angulos habeat æquales*, *vitioſe infertur*, *triangulum in genere conſideratum habere duos angulos æquales*. *Item perperam concluditur*: In triangulo rectangulo quadratum lateris maximi æquivalet quadratis reliquorum laterum: igitur & in alio triangulo acutangulo ſcilicet, vel obtuſangulo.

SCH. 2. *Huc congrue refertur illa vitioſa argumentatio*, *quam* Fallaciam a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter *vocant*, *in qua ſubjecto ſimpliciter tribuitur*, *quod eidem non niſi ſub conditione adjecta convenit*: *ut ſi ex hoc*, *quod probatio conſtans præmiſſis certis pariat ſcientiam*, *infertur*, *omnem probationem parere ſcientiam*.

248.

248. Species plura continet, quam genus (§. 24.): QUI PROINDE EX EO, QUOD ALICUI SUBJECTO CONVENIAT GENUS, SPECIEM EIDEM CONVENIRE INFERET, VITIOSE ARGUMENTABITUR, ET IN ERROREM INCIDET.

SCH. 1. *E. g. Vitioſa eſt argumentatio*: Figura habet quatuor latera: ergo eſt quadratum.

SCH. 2. *Huc apte revocatur* Fallacia a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid, *quæ eſt argumentatio vitioſa, in qua ex eo, quod prædicatum aliquod ſimpliciter conſideratum ſubjecto conveniat, infertur idem prædicatum certo quodam modo determinatum eidem ſubjecto convenire. E. g.* Propoſitio eſt probata: ergo eſt demonſtrata. *Frequentiſſime huic fallaciæ a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid locus conceditur, idque potiſſimum ideo, quod propoſitiones ſufficienter determinatæ non formentur.*

249. Haud difficulter intelligi poteſt, regulis applicandi Dictum de omni, vel nullo adverſari illas argumentationes, in quibus ex una aliqua propoſitione perperam ejus converſa infertur; id quod accidet. I. Si converſa ex ea propoſitione particulari negante infertur, quæ ſub univerſali negante non continetur. E. g. Quoniam univerſaliter enuntiare non licet: *Nullus homo valet demonſtrare aſſerta ſua*, ex hac particulari negante: *Quidam homo non valet demonſtrare aſſerta ſua*, fas non erit inferre: *Ergo quidam valens demonſtrare aſſerta ſua non eſt homo*. II. Si propoſitio univerſalis, in qua eſſentiale, vel attributum commune prædicatur, convertitur. E. g. *Omne quadratum eſt figura quadrilatera: ergo omnis figura quadrilatera eſt quadratum*. Item: *Omne vinum eſt fluidum: ergo omne fluidum eſt vinum*. III. Si convertitur propoſitio,

in

in qua ſub quadam conditione prædicatur de ſubjecto, quod etiam de aliis ſubjectis prædicari poteſt. E. g. *Lapis radiis Solis expoſitus eſt calidus: quod calidum eſt, eſt lapis: ergo lapis eſt radiis Solis expoſitus.*

SCH. Argumentatio, in qua perperam propoſitionis cujuſdam converſa infertur, Fallacia conſequentis *audit.*

250. Quemadmodum, ſi duæ propoſitiones re vera contradictoriæ fuerint, ex veritate unius recte alterius falſitatem inferimus: ita equidem vitioſe argumentamur, ex veritate unius falſitatem alterius, quæ prioris contradictoria non eſt, inferentes. Patet ſatis exinde, quod propoſitionum, quæ revera contradictoriæ non ſunt, utraque vera eſſe queat, quemadmodum exempla obvia loquuntur.

SCH. Vera eſt hæc e. g. propoſitio: Peccatum, quod commiſſurus eſt Cajus, libere committetur: *quod ſiquis huic propoſitioni contradictorie oppoſitam putaverit*: Peccatum Caji certo prævidetur; *atque ex veritate unius falſitatem alterius intulerit*; *vitioſe argumentabitur, ac plane in errorem incidet.*

251. Dum quis propoſitiones pro contradictoriis habet, quæ re vera contradictoriæ non ſunt, *ignorare elencum* dicitur, ipſaque vitioſa argumentatio, in qua ignorationi elenchi locus conceditur, *Fallacia ignorationis elenchi* nominatur.

SCH. Committitur ignoratio elenchi, vel ob æquivocationem terminorum, vel ob ignorationem eorum, quæ ad contradictionem requiruntur. Eam igitur vitaturus in priori caſu inquirat in notiones termino æquivoco jungendas, eamque jungat, quæ cum verita-

te

te conſiſtet; in poſteriori caſu ad regulas de vera oppoſitione diligenter advertat, eſt neceſſe.

252. Supereſt vitioſæ argumentationis genus, quod *Fallaciam petitionis principii* vocant. In hoc aliquid probatur ex eo, quod re ipſa etiam in quæſtione eſt, ſive quod æque dubium eſt, ac illud quidem, quod probandum.

SCH. Fallacia petitionis principii eſt e. g. in hac argumentatione: Gravia feruntur ad centrum univerſi: gravia feruntur ad centrum terræ: ergo centrum terræ eſt idem, quod univerſi. *Quippe etſi concedatur, gravia verſus centrum terræ ferri; quo tamen fundamento aſſeritur, gravia ferri verſus centrum univerſi? Scilicet an non hoc ipſum tanquam ratio probans ſumitur, quod plane in quæſtione eſt, quodve adeo probari debet?* (34)

SECTIO II.

De inveniendo Vero.

CAPUT I.

De Vero inveniendo a poſteriori.

253. DE Veritate proprio, quod ajunt, marte eruenda hic quæritur: eruere autem primo poſſumus veritatem a poſteriori, ſcilicet dum in ea eruenda ſenſibus utimur: ſecundo a priori, dum ex veritatibus jam inventis alias incogni-

tas

(34) Hic argumentandi modus *Vitioſus circulus*, atque *Piſtilli verſatio* dicitur in Scholis.

tas ratiocinando elicimus: porro veritatum inveniendarum duplex eſt genus; alterum nempe notiones, alterum judicia complectitur.

254. QUAMCUMQUE NOTIONEM PER SENSUS ADIPISCIMUR, EA IMMEDIATE NON NISI SINGULARIS EST. Nam cum per ſenſus non cognoſcamus niſi res exiſtentes, quæ ſcilicet actu in organis ſenſoriis mutationem producere debent (§. 8.); res autem actu exiſtentes ſingulares ſint (§. 21.); manifeſtum eſt, animo per ſenſus non repræſentari, niſi res ſingulares: eſt vero notio, qua repræſentatur res ſingularis, ipſa ſingularis: proindeque notio, quam per ſenſus adipiſcimur, immediate non niſi ſingularis eſt.

255. Dum judicium intuitivum formatur, res, quæ ſenſu cognoſcitur, pro ſubjecto ſumitur, quodque in ea ineſſe, vel adeſſe obſervatur, pro prædicato. Enimvero cum res, quæ ſenſu cognoſcitur, ſingularis ſit, illudque etiam judicium, cujus ſubjectum eſt ſingulare, dicatur ſingulare (§. 89.), relinquitur, *quodvis judicium intuitivum immediate non niſi ſingulare eſſe.*

SCH. Quamvis vero notiones, quæ ſenſu acquiruntur, itemque judicia intuitiva ſingularia ſint; attamen via datur, ſenſu, ſeu experientia duce, ad notiones univerſales, & judicia univerſalia perveniendi. Quam antequam apertius commonſtremus, docendum, quomodo a poſteriori inveſtiganda eſſentialia, attributa, & modi rei cujusdam.

256. SI QUIDPIAM IN PLURIBUS SUBJECTIS EJUSDEM GENERIS VEL SPECIEI CONSTANTER OBSERVATUR, NEQUE UNQUAM IN IIS, TAMETSI FREQUENTER OBSERVENTUR, CONTRARIUM DEPREHENDITUR, ID PRO ESSENTIALI, VEL ATTRIBUTO PROBABI-

BABILITER HABERI POTEST. Etenim quæ in rebus ejuſdem generis, vel ſpeciei conſtanter inſunt, & obſervantur, vel ſunt conſtitutiva illius generis, aut ſpeciei, vel ſaltem in conſtitutivis ſui rationem habent: illa ſunt eſſentialia; hæc vero attributa: quod itaque conſtanter in rebus obſervatur pro eſſentiali, vel attributo probabiliter habetur.

SCH. 1. *E. g. cum duritiem conſtanter in lapide quovis obſervemus*, duritiem eſſe attributum lapidis *colligimus*.

SCH. 2. *Non audemus apodictice, ſeu tanquam certum ſtatuere, hac ratione eſſentialia, vel attributa rerum agnoſci: nam quoniam inductione incompleta aſſertum nititur, ut conſideranti patebit, omnia requiſita ad veritatem non adſunt; nec adeo certitudini locus eſſe poteſt.*

Porro nolit quis offendi per hoc, quod cum de agnoſcendis eſſentialibus, & attributis ſermo ſit, ſpecierum, ac generum notitia ſupponatur, perſuaſus ex notitia eſſentialium, vel attributorum eam primum acquiſitum iri: nam non alia ſpecierum notitia hic quidem ſupponitur, niſi confuſa; hæc autem abſque eo habetur, ut vel eſſentialia, vel attributa ſigillatim perſpiciantur; evaſura diſtincta, ſi hæc perſpecta fuerint.

257. SI QUIDPIAM UNO TEMPORE IN RE ALIQUA OBSERVATUR, QUOD ALIO TEMPORE IN IPSA, VEL ALTERA EJUSDEM GENERIS, AUT SPECIEI NON DEPREHENDITUR, ID PRO MODO GENERIS, AUT SPECIEI ILLIUS HABENDUM. Quippe quæ in re ſive numero, ſive ſpecie, aut genere eadem nunc inſunt, nunc non inſunt, eorum ratio in ipſa re non continetur: modi itaque illius ſunt (§. 20.).

SCH. E. g. Lapis nunc obſervatur calidus, nunc frigi-

frigidus; calor proinde, & frigus modi lapidis ſunt.

258. Hinc jam modum aſſignare conceditur, quo, ſenſu, ſeu experientia duce, notiones univerſales diſtinctæ formari poſſunt. Scilicet I. Tot fiant judicia intuitiva, quot in re per ſenſum præſente a ſe invicem diſtincta obſervantur. II. Prædicata, quæ ſalva ſpecie rei abeſſe poſſunt, atque adeo ad eam non pertinent, omittantur. III. Quæ vero ad eam pertinent quidem, attamen nunc hoc, nunc alio modo determinata deprehenduntur, particularibus determinationibus liberentur. Facilius negotium conficiemus, ſi pluribus exemplis inter ſe collatis attenderimus, in quo illa conveniant, in quo item a ſe differant.

SCH. Hac equidem ratione haud difficulter formantur notiones univerſales diſtinctæ figurarum in Geometria: nam dum videmus e. g. figuram, quam triangulum appellari novimus, animadvertimuſque in ea tria latera, eaque forte æqualia; aream autem ipſius colore rubro tinctam: inſtituta collatione cum alio triangulo colligimus, a figura triangulari de ſe, & æqualitatem laterum, & areæ colorem rubrum abeſſe poſſe: unde ea omittentes notionem univerſalem, quæ omnibus triangulis conveniat, formamus; eſſe nempe præciſe figuram conſtantem tribus lateribus. Alia quædam exempla in Recitationibus adferentur.

259. Itaque, quod ſatis perſpicuum videri poteſt, in formandis a poſteriori notionibus univerſalibus diſtinctis, indiſpenſabiliter utendum eſt reflexione, & abſtractione. Quoniam autem hujuſmodi notiones per reflexionem, & abſtractionem formatæ non continent niſi prædicata judiciorum intuitivorum (§. præced.), quæ quidem legitime

me formata, atque adeo vera ſupponuntur; conſequens fit, illa in numerum poſſibilium, atque verarum eſſe referenda (§. 158., & §. 170.).

SCH. Haud infrequenter accidet, ut notionem diſtinctam, ſenſu duce, nequaquam conſequamur, puta 1. *Si res objectæ nimis exiles fuerint, vel ita remotæ, ut ſenſus nihil in illis diſcernere queant.* 2. *Si arte notas rei ſub aliis peregrinis latentes, ac quaſi ſepultas eruendi non pollemus.* 3. *Si attentionem ſufficientem non adhibemus, aut a re una ſtatim animum ad aliam contemplandam divertimus.*

260. Quod ſi notio eo, quem expoſuimus, modo formata notas continuerit præciſe ſufficientes ad rem ſenſu perceptam ab aliis diſtinguendam, definitio erit (§. 57.): unde intelligitur, quomodo a poſteriori definitiones eruantur.

SCH. Ut ne notio plures, quam quidem ad rem diſtinguendam ſufficiunt, notas contineat, inveſtigandum erit, num poſitis quibuſdam alia ponantur, ſeu an quædam per alia determinentur? Hæc nempe omittenda erunt, retentis ſolum iis, quæ per alia non determinantur. E. g. in triangulo numerus ternarius angulorum per numerum ternarium laterum determinatur: hoc itaque numero angulorum omiſſo, ſufficiet triangulum concipere, & definire per figuram tribus lateribus conſtantem.

261. Eſt in ſpecie definitio genetica, ſive realis, quæ modum, quo res aliqua fieri poteſt, exponit (§. 70.). Hanc adeo conſequemur, ſi ad ea, quæ in formatione rei fiunt, attenti notionem diſtinctam geneſeos nobis formaverimus.

SCH. E. g. attendentes, quod circulus generetur, ſi linea recta circa punctum fixum rotatur, definitionem realem circuli adipiſcimur. Sic tirones artium

ma-

manuariarum notiones operum perficiendorum nanciſcuntur, noſque paſſim definitiones reales artefactorum conſequimur; conſecuturi ſimiliter in naturalibus, ubi ſua ſenſibus præſidia fuerint adhibita.

262. Notiones, quæ ſenſu acquiruntur, immediate non niſi ſingulares, & confuſæ ſunt; accedente tamen reflexione, & abſtractione diſtincte, & univerſales evadunt (§. 259.). Quod porro ad judicia, quæ ab experientia derivantur, attinet, ipſa quoque inter univerſalia locum ſibi vendicabunt, ſi quod pro prædicato ſumptum fuerit, non niſi ex eſſentialium, vel attributorum numero fuerit (§. 90.): quoniam igitur modum jam aſſignavimus, quo, ſenſu, ſeu experientia duce, agnoſci poſſunt eſſentialia, vel attributa rei cujusdam, liquet, qua ratione ope experientiæ, ſeu ſenſuum ad judicia univerſalia perveniatur.

SCH. Judicia univerſalia erunt: Ignis eſt calidus: Lapis eſt durus &c.: *ex obſervatione namque conſtare poterit, calorem eſſe attributum ignis, duritiem attributum lapidis.*

263. Non vero unice judicia univerſalia formari, ſi prædicatum fuerit eſſentiale, vel attributum, patet ex alibi jam dictis (§. 92.); quippe ſi pluribus obſervationibus conſtiterit, his determinate poſitis extrinſecis, rei determinatum quendam modum convenire, eundem ſub illis extrinſecis rei tribuentes, judicium denuo univerſale formabimus.

SCH. E. g. Cum experientia ſatis certum habeamus, re alia opus non eſſe ad hoc, ut lapis motu accelerato feratur, quam ut libere deſcendat, propoſitio univerſalis erit: Si lapis libere deſcendit, motu

tu accelerato fertur. (35).

CAPUT II.

De Vero inveniendo a priori.

264. NOtio generis ea continet, quæ in pluribus ſpeciebus eadem, ſive communia ſunt (§. 24.); quod ſi itaque aut notio unius ſpeciei, aut notiones plurium ſpecierum inventæ, vel datæ fuerint, notionem generis formabis in priore caſu, ſi probe attenderis, quæ determina-

(35) Sunt qui putant, nullum judicia hæc univerſalia uſum in Philoſophia obtinere: uſus namque generalium principiorum, inquiunt, ne unam quidem poteſt parere cognitionem: forte-ne principio generali propoſitionis particularis veritas detegetur? At principii generalis cognitio particularium propoſitionum præſupponit cognitionem, cum propoſitionis generalis cognitio particularium propoſitionum cognitione acquiratur. At falſum primo eſt, judicia, & propoſitiones univerſales neceſſario ſupponere particularium ſaltem plurium cognitionem; quando enim prædicati notio ex numero eſſentialium, vel attributorum ſubjecti eſt, ſtatim propoſitio efformatur univerſalis, quin plurium particularium prævia opus ſit cognitione. Secundo: diſtinguenda eſt methodus, qua veritatis cognitionem cupimus obtinere; eſt enim alia analytica, & inquiſitionis; alia ſynthetica, & doctrinæ: in illa a compoſitis, & particularibus ad ſimplicia aſcendimus, & univerſalia; in hac a ſimplicibus ad compoſita, ab univerſalibus deſcendimus ad particularia. Qui docet ſcire certe debet & univerſalia, & particularia; nec abſurde agit, ſi primo generalia diſcipulis exponat, tum ad particularia deſcendat. Inter ſyllogiſmorum, & argumentationis regulas a ſapientibus probatas una eſt, *quod ex puris particularibus nihil ſequitur*: tam ergo eſt neceſſarius uſus judiciorum, ac propoſitionum univerſalium, quam ſyllogiſmorum, & argumentationis neceſſarius eſt uſus.

tiones, cæteris iiſdem permanentibus, abeſſe, vel variari queant; in poſteriore, ſi, collatis plurium ſpecierum notionibus, animadverteris, quæ, determinationibus cæteris iisdem exiſtentibus, in ipſis actu diverſæ ſint: omiſſis quippe determinationibus, quæ vel variari poſſunt, vel actu diverſæ ſunt, quæ remanebunt, notionem generis conſtituent.

SCH. 1. *Triangulum re vera erit figura conſtans tribus lateribus, etſi hæc latera inter ſe non fuerint æqualia: hoc eſt, permanente numero ternario laterum, æqualitas eorundem abeſſe, vel variari poteſt. Itaque data notione trianguli æquilateri formabitur notio trianguli in genere, ſi, omiſſa æqualitate laterum, tanquam determinatione variabili, ſaltem numerus ternarius laterum fuerit retentus. Leviori negotio quiſque intelliget, quomodo eadem notio generica trianguli ex datis notionibus e. g. trianguli æquilateri, æquicruri, & ſcaleni formetur.*

SCH. 2. *Nec opus etiam monitione fuerit, quæ circa formandas notiones generum ex notionibus ſpecierum docuimus, eadem pertinere ad formandas notiones generum ſuperiorum ex notionibus inferiorum generum: genus quippe inferius reſpectu ſuperioris ſpecies eſt.*

265. Notio ſpeciei conſtat notione generis, & differentiæ ſpecificæ: quod ſi ergo notio generis datur, attende, quid in ea ſatis determinatum ſit, quidve tanquam indeterminatum ulteriorem determinationem admittat: indeterminato adjice determinationem talem, qualis ei, quod determinatum jam eſt, non repugnat; hæc determinatio adjecta differentiam ſpecificam abſolvet: porroque quotuplices determinationes expoſitæ conditionis adjectæ fuerint, totuplices ſpecies obtinebuntur.

SCH.

SCH. In notione generica trianguli determinatus est numerus laterum; ipsa porro latera novas, easque varias determinationes admittunt, scilicet, ut vel omnia inter se, vel saltem duo æqualia, vel cuncta inæqualia sint: hinc, adjecta numero laterum æqualitate eorundem, vel inæqualitate, oriuntur species trianguli æquilateri, æquicruri, & scaleni.

266. Quod si notio speciei datur, ex eadem notio alterius speciei obtinebitur, si prius juxta dicta (§. 265.) notionem generis in ea contentam detexeris, eique tanquam differentiam specificam a præsenti diversam determinationem, quæ tamen ipsi notioni generis non repugnet, adjeceris.

SCH. Data e. g. notione figuræ habentis quinque latera æqualia, totidemque angulos æquales, hoc est pentagoni regularis, formatur primum notio generica figuræ regularis, quam præcise æqualitas laterum cum æqualitate angulorum absolvit. Enimvero cum in allegato casu æqualitas laterum, & angulorum porro per numerum quinarium determinetur, sive speciatim restringatur, in locum numeri quinarii suffecto numero e. g. senario, obtinetur notio alterius speciei figuræ habentis sex latera, totidemque angulos æquales, seu hexagoni: hac ratione data notione corporis duri, formatur notio corporis mollis; data notione entis contingentis notio entis necessarii &c.

267. Dum data notione generis notiones specierum, item dum data notione speciei unius notiones aliarum specierum formaturi sumus determinationes novas adjiciendo, vel variabiles in alias mutando, rem arbitrio nostro agemus. Hinc notiones hujusmodi *arbitraria determinatione formatæ* audient. Quoniam vero ab arbitrio nostro ne-

quaquam pendet, ut ex illius determinatione, & combinatione notiones ſint poſſibiles, & veræ, liquet, in recipiendis notionibus arbitraria determinatione formatis circumſpectione, ac cautela opus eſſe.

SCH. Fieri ſane poterit, ut arbitraria determinatione talia combinentur, quæ ſibi mutuo repugnant, quo utique in caſu notiones impoſſibiles, & falſæ erunt. E. g. ſimplex diviſibile, compoſitum neceſſarium, trilineum quadrangulum. *Qui itaque ejuſmodi notiones receperit, eaſve verbis expreſſerit, non niſi terminos inanes fundet, notioneſque ipſæ deceptrices erunt.*

268. Ad hoc, ut inter notiones arbitraria determinatione formatas veræ, ac poſſibiles diſcernantur ab impoſſibilibus, ac falſis, ſequentes propoſitiones uſui eſſe poterunt. I. SI EA, QUÆ IN NOTIONE PER ARBITRARIAM DETERMINATIONEM FORMATA CONTINENTUR, ALICUI ENTI SIMUL INESSE, VEL OBSERVATA ALIQUANDO SUNT, VEL ACTU OBSERVANTUR, NOTIO TALIS POSSIBILIS, AC VERA EST. Manifeſtum namque inde fit, quæ in notione continentur, ea ſibi mutuo non repugnare: ipſa proinde notio poſſibilis, ac vera eſt (§. 158.).

SCH. In eodem e. g. ſaccharo deprehenditur albedo, & dulcedo: notio itaque albi dulcis *poſſibilis, & vera eſt.*

269. II. SI PROPOSITIO, AD QUAM NOTIO PER ARBITRARIAM DETERMINATIONEM FORMATA REDUCI POTEST, VEL PROPOSITIONI IDENTICÆ, VEL ALTERI CUIDAM VERÆ OPPOSITA EST, NOTIO EST IMPOSSIBILIS, AC FALSA. Etenim tali caſu indubitate notio continebit talia, quæ eidem ſubjecto ineſſe non poſſunt: quoniam ergo hujuſmodi notio

tio impossibilis, atque adeo falsa est (§. 158.), patet, quod propositum erat.

SCH. Ex. g. Notio lapidis ferrei *revocatur ad hanc propositionem*: Lapis est ferrum; *hæc vero propositio opponitur huic identicæ*: Lapis est lapis: *itaque notio lapidis ferrei impossibilis, ac falsa est. Similiter. Notio* lapidis indivisibilis *reducitur ad hanc propositionem*: Lapis est indivisibilis; *hæc vero propositio opponitur, atque adversatur propositioni veræ*: Lapis constat partibus: *igitur & notio lapidis indivisibilis impossibilis, ac falsa est.*

270. III. QUOD SI AUTEM PROPOSITIO EI, AD QUAM NOTIO PER ARBITRARIAM DETERMINATIONEM FORMATA REDUCI POTEST, CONTRARIA SUMITUR, HÆCQUE PROPOSITIONI CUIDAM VERÆ REPUGNAT, NOTIO POSSIBILIS, AC VERA EST. Nam exinde demonstratione apogogica, seu indirecta clare innotescit, quæ in notione continentur, ea simul eidem subjecto inesse posse: est adeo notio possibilis, ac vera (§. 158.).

SCH. Ex. g. Notio lapidis divisibilis *revocatur ad hanc propositionem*: Lapis est divisibilis: *huic opponitur propositio*: Lapis est indivisibilis: *enimvero quia hæc propositio adversatur propositioni alteri veræ*: Lapis constat partibus, *innotescit, notionem lapidis divisibilis possibilem, ac veram esse.*

271. IV. Ex ipsa definitione possibilis patet, NOTIONEM PER ARBITRARIAM DETERMINATIONEM FORMATAM FORE POSSIBILEM, AC VERAM, SI DIRECTE DEMONSTRARI POSSIT, EAM CONTRADICTIONEM NON INVOLVERE.

272. V. SI REI, CUJUS PER ARBITRARIAM DETERMINATIONEM NOTIO FORMATA EST, POTEST GENESIS EXPONI, NOTIO POSSIBILIS, AC VERA EST,

Per ſe quippe patet, fieri non poſſe, ut exponatur modus, quo illa, quæ in notione continentur, rei ſimul ineſſe queant, & tamen eadem ſimul ineſſe repugnent: quoniam itaque tali caſu notio certo continet ea, quæ ſimul ineſſe alicui ſubjecto poſſunt, utique ipſa poſſibilis, ac vera eſt (§. 158.).

SCH. 1. *Notio hexagoni regularis ex notione e. g. pentagoni per arbitrariam determinationem formata affatim agnoſcitur poſſibilis ex modo, quo generari poteſt; ſcilicet, ſi radius circuli ſexies in peripheria applicetur.*

SCH. 2. *Hactenus de notionibus a priori inveniendis. Enimvero quod propoſitiones a priori, ſeu per ratiocinium inveniri queant, non defuerunt, qui negarent. Sic quippe illi.* Quidquid ratiocinando infertur, id ante oportet, notum fuerit, quam præmiſſæ ratiocinii formarentur; cum præmiſſæ concluſioni probandæ adaptari debeant: itaque &c. *Sed enim hos vel ipſa experientia ſatis refutare videtur: ſane attendentes ad nos ipſos deprehendemus, frequentiſſime animum ſubire propoſitiones quaſdam, ex quibus demum tanquam præmiſſis alia ſat diverſa tanquam concluſio ſequitur; id quod quidem in Pſychologia fuſius docebimus. Interim hic forte addere licuerit, quod paſſim aliis videtur, ratiocinando ſaltem veritates, quæ prius non niſi confuſe, & obſcure agnoſcebantur, clare, ac diſtincte innoteſcere. Itaque nihil veremur expoſitionem modi propoſitiones a priori inveniendi aggredi.*

273. Si data ſit definitio rei cujuſdam, ex hac novas propoſitiones colliges 1.: Si eam reſolveris in propoſitiones, ita ut vel definitum locum ſubjecti, notioque illi tributa locum prædicati teneat

neat; vel ut terminus complexus exprimens notionem illam loco ſubjecti, ipſumque definitum loco prædicati ponatur; vel denique ut de definito tanquam ſubjecto ſigillatim ea prædicentur, quæ in notione illi tributa continentur: 2. Si in memoriam tibi revocaveris propoſitiones alias, quæ cum ſic formatis communem terminum habeant: ſicque 3. erutis jam una, vel pluribus concluſionibus, porro tanquam præmiſſis utens, filum ratiocinationis continuaveris, dum propoſito ſatisfactum fuerit.

SCH. Exemplum ex Logica repetamus. Definitio definitur, quod ſit oratio continens notas ſufficientes ad rem pro omni ſtatu agnoſcendam, & diſcernendam: exinde naſcitur propoſitio: Definitio debet continere notas ad rem agnoſcendam, & diſcernendam ſufficientes. *Jam memoriam ſubeat altera propoſitio communem terminum cum iſta habens*: Quæ poſſunt abeſſe, vel adeſſe, ſalva ſpecie rei, non ſunt referenda inter notas ad rem agnoſcendam, & diſcernendam ſufficientes: *ſequetur concluſio*: Ergo definitio non debet continere ea, quæ poſſunt abeſſe, vel adeſſe, ſalva ſpecie rei. *En unam propoſitionem a priori inventam! Enimvero hac non contentus ratiocinium continua: ſume concluſionem inventam pro præmiſſa*: Definitio non debet ea continere, quæ, ſalva ſpecie rei, poſſunt adeſſe, vel abeſſe: *tum memoria ſuggerat*: Modi, ſalva ſpecie rei, poſſunt abeſſe, vel adeſſe: *fluet concluſio*: Ergo definitio non debet continere modos. *En alteram propoſitionem inventam!*

274. Si pro definitione rei ponamus dari hypotheſim, ſeu ſubjectum cum ſuis determinationibus, termino complexo, qui ſubjectum, & ejus

determinationes exprimet, utendum erit tanquam definitione; cæteraque eodem modo, & ordine peragenda, ut §. præc.

SCH. E. g. Datur hypotheſis, quod Cajus æſtuet vehementi affectu: formato termino complexo: Cajus æſtuans vehementi affectu, *naſcitur propoſitio*: Cajus æſtuat vehementi affectu: *tum in mentem veniat altera propoſitio*: Quicumque æſtuat vehementi affectu rite ad rem præſentem attendere nequit: *ſequitur concluſio*: Cajus ad rem præſentem rite attendere nequit. *Continuetur ratiocinium*. Cajus ad rem præſentem rite attendere nequit: *tum occurrat animo*: Qui ad rem præſentem rite attendere nequit apte de ea judicare non poteſt: *concludetur*: Ergo Cajus de re ſibi præſente apte judicare non poteſt.

275. Ex dictis clare liquet, nequaquam futurum, ut veritates latentes ratiocinando detegantur, niſi aliæ veritates cognitæ ſint, & perſpectæ, quæ ſcilicet in caſu oblato prompte memoriam ſubeant, mentique copiam faciant concluſionis formandæ.

SCH. Inde eſt, quod paſſim ajant, eum, qui novas veritates detegere volet, ſufficientia principia ſibi comparare debere.

276. Porro etiam corollariorum inſtar ſequentia fluunt. *I. Si duo regulas traditas veritatem inveniendi ad praxim applicare valent, unus autem eorum plures veritates, alter pauciores cognitas habet, is, qui plures cognitas habet, plures novas detegere valet, quam qui pauciores cognitas habet*. Progreſſurus quippe ille eſt ratiocinando, dum huic, deficientibus ulterioribus principiis, conſiſtendum fuerit.

277.

277. *II. Si quis in uno diſciplinarum genere utcunque valet novas veritates invenire, non hoc ipſo valet invenire in alio quodam genere.* Nam quod in una aliqua diſciplina, e. g. Matheſi, valeat veritates invenire, inde eſt, quia complures veritates ad Matheſim ſpectantes perſpectas habet: enimvero cum hæ veritates uſum non ſint habituræ in alia diſciplina, patet ſatis, non hoc ipſo aliquem veritates inventurum in alia quavis diſciplina, quod in una quadam invenire valeat.

278. Quæ hoc, priorique Capite de inveniendo vero allata ſunt, uſu ſuo aliquando ſe ſe nobis commendare poterunt. Haud inviti autem cum Vvolffio fatemur, iis omne veri inveniendi negotium minime abſolvi. Sane præter artem, & dexteritatem reflectendi, abſtrahendi, combinandi, ac ratiocinandi aliis artificiis heuriſticis opus eſſe Inventores ſatis norunt: nec hæc facile quis enumeraverit, cum equidem alia Geometris, alia Arithmeticis, alia aliis reſpondeant, & conveniant. Hinc non defuere, qui innuiſſe contenti veritatis inventionem in mentis perſpicacia, ac ingenii vi ſitam eſſe, de regulis ſtatuendis nihil ſolliciti extiterunt. Secus tamen viſum eſt aliis, qui utique rem utilem ſe facturos putarunt, ſi leges quasdam conderent, ac proferrent, ad quas cujuſvis veritatis inveſtigationem, ſeu, ut aliter eam vocant, *analyſim* tuto exigere liceat. En illas!

I. Opera detur, ut propoſitæ quæſtionis ſtatus rite intelligatur.

II. Reſecentur a quæſtione, quæ ad id, quod quæritur, detegendum nihil faciunt.

III. Si quæſtio compoſita eſt, in tot partes dividatur, quot expediet ad eam commodius ſolvendam.

IV.

IV. Cogitationes, quæ veritati quærendæ impendendæ erunt, certo ordine promoveantur, incipiendo ſcilicet a rebus ſimplicibus, & cognitu facillimis, ut paullatim, & quaſi per gradus ad difficiliorum, & magis compoſitarum cognitionem aſcendatur.

V. Tum ea, quæ invenienda ſunt, tum quorum ope inveniri poterunt, ſi non aliis figuris, certo pauciſſimis verbis deſignentur, quo, & lapſus memoriæ vitetur, & facta comparatione facilius appareat, quid, quantumve unumquodque ad ſolutionem quæſtionis conferat.

Cæterum noverit tiro ad ſe non tam pertinere novas veritates detegere, quam ab aliis detectas ſibi perſpectas reddere, modumque, quo illæ detectæ ſunt, ſedulo obſervare: inde ſcilicet fieri poterit, ut ipſe temporis ſucceſſu in veritatibus inveniendis haud infelicem operam collocet.

SECTIO III.

De Libris.

CAPUT I.

De Differentia Librorum, eorundemque perfectione.

279. NOn ii ſumus, qui ipſi omnes veritates invenire valeamus: aliorum quoque cogitata conſulere, eorumque adminiculo ad utilium veritatum cognitionem nos pervenire oportet. Continentur autem veritates ab aliis inventæ in Li-

Libris: unde inter officia ſua non immerito Logica numerat ea tradere, quæ ad rectum uſum librorum pertinent.

280. In libris recenſeri poſſunt vel facta, ſeu veritates ſingulares, vel dogmata, ſeu veritates univerſales. Libri continentes facta *hiſtorici*; comprehendentes dogmata *dogmatici* ſalutantur: quoniam autem dogmata vel ita ſaltem recenſeri poſſunt, ut demonſtratio eorumdem omittatur, vel ita, ut demonſtratio ſimul adjungatur; alii prodeunt libri *dogmatici hiſtorici*, ſcilicet in caſu priori, alii *dogmatici ſcientifici*, nempe in caſu poſteriori.

281. Libri porro referentes facta naturæ *Hiſtoriæ naturales*; deſcribentes opera artium, ipſaſque artes *Hiſtoriæ artificiales* dicuntur; recenſentes denique facta hominum partim *Hiſtoriæ civilis*, partim *eccleſiaſticæ*, partim *privatæ*, partim *litterariæ* nomine veniunt.

SCH. Hiſtoria naturalis ſuas quoque, eaſque varias partes habet, pro diverſitate objectorum, circa quæ verſatur. Hujuſmodi ſunt: Hiſtoria cæleſtis: Hiſtoria Meteorum: Hiſtoria Animalium, *in ſpecie*, Piſcium, Avium, Inſectorum: Hiſtoria Plantarum, *ſeu* Botanica *&c.*

282. Recte præcipitur in libro quovis, vel ſcripto hiſtorico ad tria eſſe attendendum, ſiquidem probari nobis debeat. 1. Num quæ in eo continentur, vera ſint? 2. Num debito, ac legitimo ordine exponantur? 3. Num præfixo fini obtinendo ſufficiant? De ſingulis aliqua, eaque ſaltem utiliſſima delibemus.

283. Verum reputari non poteſt ſcriptum hiſtoricum 1. Si afferuntur circumſtantiæ factorum ſibi mutuo repugnantes: itemque 2. antecedentia,

vel

vel conſequentia ipſis factis adverſantia. 3. Si, quæ recenſentur, manifeſtis veritatibus contradicunt. Hæc ſi abfuerint, ſcriptum tanquam probabile admittitur.

Prior pars ſatis ex alibi dictis patet; veritas enim in iis, quæ ſive abſolute, ſive ob conditionem repugnantiam involvunt, conſequenter impoſſibilia ſunt, locum habere non poteſt.

Enimvero, quoniam ex lege probabilitatis aliquid ſumi poteſt, quamdiu ratio nulla latentis contradictionis, ſeu impoſſibilitatis in contrarium producitur, liquet etiam altera propoſitionis pars.

SCH. Plura ad veritatem ſcripti hiſtorici pertinentia alibi monuimus hic non repetenda (*V. Cap.* 5.).

284. In hiſtoria naturali recto, ac legitimo ordine quædam narrari cenſentur, ſi eo ordine referuntur, quo, ſpectato cauſſarum concurſu, re ipſa facta ſunt. In hiſtoria autem civili, eccleſiaſtica, artificiali, litteraria, privata legitimus ordo a circumſtantia temporis pendet.

SCH. Equidem in probabilitate hiſtoriæ æſtimanda non parvum momentum habet ordinis debiti vel obſervatio, vel neglectus.

285. Maxime attendi meretur, illa-ne, quæ in ſcripto hiſtorico continentur, fini præfixo obtinendo ſufficiant? Itaque ſequentia notentur. In hiſtoria naturali facta naturæ vel eum in finem recenſentur, ut lector ſaltem rerum naturalium notiones acquirat, vel ut principiis imbuatur, quibus ad ratiocinandum de rebus naturalibus opus habebit: utervis demum finis obtinetur, ſi nihil non diſtincte exprimatur, omnesque circumſtantiæ ſollicite indicentur; in ſubſidium etiam

vo-

vocatis iconiſmis, qui oculis ſpectandum objiciant, quod verbis ſatis explicari non poteſt.

286. Circa finem hiſtoriæ artificialis eadem plane ſtatuenda veniunt, quæ circa finem naturalis ſunt ſtatuta. In ea proinde oportet recenſeri ſigillatim operationes, quæ ad perficiendum artis opus requiruntur, nec minus accurate explicari inſtrumenta, eorumque uſum; additis etiam tum illorum, tum hujus rationibus: præterea in eadem ipſarum artium Auctores, initia, progreſſus referri debent &c.

287. Hiſtoria litteraria, in qua ſtatus orbis litterati, atque adeo progreſſus ſcientiarum, artiumque liberalium deſcribitur, eo ſervire debet, ut undenam veritatum inventarum cognitio haurienda ſit, pateat, arſque inveniendi proficuis principiis locupletetur. Ea de cauſſa neceſſe erit, ut recenſeantur ſcripta, quæ ſuper quovis argumento hoc, vel illo tempore in lucem edita ſunt; utque doceatur, quam methodum in probandis, & explicandis dogmatis, quem ordinem in hiſtoricis Auctores tenuerint. Ad hæc deſcribendæ Auctorum vitæ, educatio, informatio: exponendus ſtatus rei litterariæ ſub id temporis, quo Auctores vixerunt: annotandum, quæ veritatibus ante inventis acceſſerint, qua ratione inventæ ulterius perfectæ ſint. Ex his quippe partim intelligi poterit, unde veritatum inventarum cognitio ſit haurienda, partim nova artificia innoteſcent, quibus in veritate detegenda opus eſt.

288. Hiſtoriæ politicæ convenit ſuppeditare exempla, quibus dogmata politica ſtabiliuntur, quæve principia præbent Prudentiæ civilis: hinc Reipublicæ ſtatus quovis tempore curate deſcriben-

bendus: referendum, quibus mediis creverit, quas ob cauſſas aliquando collapſa ſit: recenſenda denique facta Imperantium, conſecutionesque factorum, nec non auſpicia regiminis, pacta, & fœdera &c.

289. Eodem modo hiſtoriæ eccleſiaſticæ convenit ſuggerere exempla, quibus dogmata de regimine eccleſiaſtico confirmantur, quæve principia Prudentiæ eccleſiaſticæ largiuntur. Hanc ob rem requiritur, ut in ea primævus æque, ac ſequens quovis tempore Eccleſiæ ſtatus, Schiſmata, defectiones a veritate, ſubjunctis eorundem occaſionibus, ac cauſſis, rite exponantur: media quoque, & viæ, quibus flos ejus obtentus eſt; itemque impedimenta, quæ eidem obſtiterunt; viciſſitudines denique quælibet, præ primis, quæ circa mores, doctrinasve Fidelium acciderunt, commemorentur.

290. Quod demum hiſtoriam privatam attinet, quoniam ad illam ſpectat afferre exempla virtutum, & vitiorum, quibus præcepta dirigendi actiones ad propriam felicitatem ſtabiliuntur, quæve principia Prudentiæ privatæ præbent; inde eſt, quod in illa hominum actiones ſingulæ virtuoſæ, vel vitioſæ deſcribi, ac quæ illa ſubſecuta ſunt diſtincte exponi debeant, annotatis ſimul iis, quæ ad agnoſcendum utrobique ſtatum animi faciunt.

291. Atque ex his, aut forte ſimilibus ſtatui equidem poterit, illa-ne quæ in ſcripto quodam hiſtorico continentur, fini præfixo obtinendo ſufficiant? Manca certe, atque imperfecta jure reputabitur hiſtoria, quam contra, ac requiri adhuc docuimus, concinnatam animadvertemus.

292. Ad perfectionem ſcripti dogmatici quatuor

tuor cum primis requiruntur; 1. ut sit *perspicuum*; 2. ut sit *ordine confectum*; 3. ut sit *solidum*; 4. ut sit *completum*.

293. Si in scripto non adhibentur termini, nisi accurata definitione ante explicati, aut quibus alio ex capite idem constanter significatus tribuitur, scriptum perspicuum est: contra obscurum est, si terminos continet non definitos, & vagos.

SCH. Hæ definitiones scripti perspicui, & obscuri *sunt geneticæ; modum enim indicant, quo scriptum evadit perspicuum, vel obscurum. Ex iis autem fluunt nominales; scilicet scriptum perspicuum esse*, quod intelligi potest; *obscurum*, quod intelligi non potest.

294. *Ordo, quo scriptum dogmaticum conficiendum*, alias *Methodus* dicitur. Alia autem methodus appellatur *analytica, qua veritates ita proponuntur, prout inventæ sunt, vel inveniri potuerunt*; alia *synthetica, qua singula ita proponuntur, ut & clarissime intelligi queant, & menti intelligenti omnimode certa, ac indubitata evadant*. De methodo analytica non est, cur porro sermonem faciamus; quippe cum Sectione præcedente modum veritates inveniendi exposuerimus, leges, ac regulæ hujus methodi jam liquent.

295. In methodo synthetica jure hæc præcipiuntur.

I. In terminis nihil ambiguum relinquatur; hinc omnes definiantur, tum qui alias definitiones ingrediuntur, tum quorum definitiones principium in demonstratione præbent.

II. Definitiones eo ordine collocentur, ut præcedant, quarum definita alias definitiones ingrediuntur; hæ autem illas sequantur.

III.

III. Definitio non adhibeatur pro demonſtrandi principio, niſi ejus realitas ſufficienter probata fuerit.

IV. Nihil abſque probatione eſſe, vel fieri poſſe ſumatur, quod ita ſumi non meretur: ſeu pro axiomate, vel poſtulato non habeatur, quod immediate ex una definitione non profluit, ſed aliunde deduci debet.

V. Propoſitiones omnes determinatæ ponantur, adjecta, ubi opus fuerit, conditione, cur prædicatum ſubjecto conveniat.

VI. Propoſitiones demonſtrabiles, tam quæ in numero theorematum, quam quæ in numero problematum habentur, exacte demonſtrentur, ſive demum directe, ſive indirecte.

VII. Quibuſvis propoſitionibus is locus tribuatur, ut ſequentibus demonſtrandis inſerviant.

SCH. Nempe de ſcripto dogmatico ſcientifico hic agimus, in quo dogmata demonſtrari debent. Quod ſi horum, quæ nunc attulimus, ratio non habeatur, ipſum ſcriptum non fore ſcientificum, ſatis colligi poteſt ex iis, quæ in antecedentibus de demonſtratione etiam atque etiam commemorata, ac ſtabilita ſunt. In ſcripto dogmatico hiſtorico non exigitur, ut dogmata demonſtrentur; hinc alium ſibi ordinem, aliamve methodum vendicare poteſt: præcipue in eo curandum, ut quæ ad idem ſubjectum, & argumentum ſpectant, eodem loco congerantur; idque propterea, quod ſcriptum dogmaticum hiſtoricum memoriæ conſulere debeat; facilius autem meminerimus eorum, quæ una memoriæ fuerunt commendata.

296. Ex eo, quod ſcriptum dogmaticum ordinis, ſeu methodi regulis exacte reſpondebit, *ſolidum* audiet: contra *ſuperficiarium* dicetur, ſi ab iis deflexerit.

SCH.

SCH. Præcipue soliditate se se commendant scripta Mathematicorum, non quidem inde, quod in illis cuique veritatis generi suum, puta vel definitionis, vel axiomatis, vel theorematis, vel corollarii &c. nomen soleat adscribi; si namque Euclides nullis nominibus usus fuisset, libri tamen ejus soliditate minime destituerentur: contra haud pauci magna cura, ac solertia propositionibus suis nomina apposuerunt, in quorum tamen scriptis soliditas plurimum desideratur. Itaque illa exquisita diligentia in definiendis terminis, illa circumspectio in principiis deligendis, atque assumendis, ille rigor in demonstrando, ea potius sunt, quæ omnimodam scriptis Mathematicorum soliditatem conciliant.

297. Si scriptum dogmaticum omnia, quæ ad argumentum, de quo agitur, spectant, & eo tempore nota esse possunt, continet, aut saltem illa, quæ fini Auctoris consequendo sufficiunt, *completum* nominatur; priori quidem casu *absolute completum*, posteriore *in suo genere completum*. Inde autem facile colliget quisque, quodnam scriptum dogmaticum *incompletum*, sive demum *absolute*, sive *in suo genere* sit dicendum.

SCH. Experientia satis docemur, scripta, quæ modo completa videntur, successu temporis, dum super eodem argumento novæ veritates deteguntur, incompleta fieri.

298. Superest, ut sub finem hujus Capitis referamus, quid *Plagiarius*, *Epitomator*, item *Compilator?* Qui ea, quæ hinc inde dispersa sunt, in unum colligit, nulla habita ratione connexionis, aut ordinis, Compilator dicitur. Plagiarius vocatur, qui, quæ ab aliis mutuatus est, a se inventa esse aliis persuadere contendit. Epitomator

demum audit, qui ex ſcripto vaſtiori ea ſeligit, quæ fini ſuo convenientia agnoſcit, atque adeo ex vaſtiori brevius ſcriptum componit.

CAPUT II.

De Lectione Librorum.

299. NEmo inficiari audet, eum, qui libros legere conſtituit, id ſibi propoſitum habere debere, ut, quæ in libro continentur, intelligat, ſeu, ut mentem Auctoris aſſequatur: quoniam autem quis mentem alterius aſſequitur, ſi eaſdem cum vocibus, ſive terminis notiones jungere valet, quas alter cum illis conjunxit (§. 33.); liquet porro mentem Auctoris libri tum nos aſſecuturos, quando cum terminis ſingulis in libro ſe ſe nobis offerentibus eas notiones conjungemus, quas ille cum iisdem conjunxit.

300. Quod ſi itaque Auctor terminos, quibus in libro utitur, probe explicat, ac definit, definitiones has nobis familiares reddentes facile rectum verborum ſenſum aſſequi poterimus. Quod ſi, definitionibus non attentis, aliter verba accipimus, vitio noſtro perverſam interpretationem admittimus, qua Auctor merito offenditur.

301. Nonnumquam Auctor terminos ipſe non definit, cum aliunde cognitos ſupponere jure poſſit: hinc legens, ſi eorundem definitiones nondum habet perſpectas, eas ex aliis libris repetere, juxtaque eas terminos interpretari tenetur.

SCH. Qui e. g. ſcribit Metaphyſicam, jure ſupponere poteſt, terminos logicos eſſe cognitos: hinc ipſe illos

illos non definiet, ſed eorum definitiones a legente ex Logica erunt repetendæ.

302. Quoniam univerſim ad hoc, ut legens mentem Auctoris aſſequi dicatur, requiritur, ut is eandem cum termino notionem conjungat, quam Auctor conjunxit, ſi Auctor cum termino conjunxit notionem deceptricem, etiam legens notionem deceptricem conjungere debet, quamdiu (N.B.) de intelligendo libro præciſe agitur.

SCH. Idem annotandum venit circa notionem imaginariam, qua nempe ob quamdam ſimilitudinem fingitur, quod non eſt, ut per imaginem quamdam veluti oculis præſens ſiſti valeat: e. g. ſi tempus per lineam rectam continuo fluxu puncti generatam exprimitur.

303. Sæpe apertæ terminorum definitiones penitus quidem deficere videntur; ſenſus tamen illorum ex antecedentibus, aut conſequentibus, aliiſque locis, in quibus Auctor iis uſus eſt, manifeſtior, ac planior efficitur: hinc legens ſenſum verborum tanto eruet promptius, ac facilius, quanto magis in ſcriptis Auctoris verſatus fuerit.

SCH. E. g. Scipio Africanus in Somnio Cap. 7. dicit: Apud ipſos, a quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo *unius anni* memoriam conſequi poteſt. *Quid per unum annum intelligendum veniat, ex verbis ſtatim ſubjectis, iiſque, quæ Cicero de Nat. Deorum Lib. 2. c. 20. de magno anno Mathematicorum refert* (30), *clarum, apertumque fit.*

(36) Loco ab Auctore citato inquit Cicero: *Magnum annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cum Solis, & Lunæ, & quinque errantium ad eamdem inter ſe comparationem, confectis omnium ſpatiis, eſt facta converſio.*

Ser-

304. Quicumque librum conſcribit, de eo utique exiſtimandum, quod intelligi velit; ſecus enim legi non deberet: quod ſi itaque is voce utitur a ſe non definita, qua in communi ſermone utimur, eo ſenſu accipienda eſt, quo in communi ſermone accipitur: ſupponendum namque, ſi alio ſenſu accipienda foret, Auctorem definitione vocis uſurum fuiſſe.

SCH. Aberrant ſane haud mediocriter, qui in libris tum profanis, tum ſacris, neglecto, ac ſepoſito naturali verborum ſignificatu, ac ſenſu, non niſi mera myſteria venantur, cum quibus tamen Auctor nihil forte ſibi voluit.

305. Quod ſi nihilo minus accidat, ut vocis ſignificatus, quem illa in communi ſermone habet, propoſitionem falſam, aut manifeſto abſurdam reddat, Auctor vero dotibus ad ſcribendum requiſitis non careat, ſtatuendum erit, ipſum ab uſu loquendi recedere, atque adeo alium voci ſignificatum tribuendum, qui nempe vero non repugnat. Quippe cum Scriptor dotibus ad ſcribendum non carere ponatur, utique & ipſe falſitatem perſpicere debuit, quam nos admiſſo illo vocis ſignificatu perſpicimus: concludendum proinde, & ab illo alium ſignificatum voci tributum eſſe, & conſequenter a nobis eſſe eidem tribuendum.

306. Ex eadem fere ratione conficitur, ſi Scriptor judicio, & acumine, ceu præcipuis ad ſcribendum requiſitis dotibus pollens voces quasdam adhi-

---

Servius a Vverburgio in ſuis ad Ciceronem notis relatus hæc habet: *In Libris de Deorum natura tria millia annorum dicit* (Cicero) *magnum annum tenere*. Magnus annus ab Ægyptiis dicebatur periodus annorum 1460. *Conſulatur Petavius lib. 5. variar. Diſſert. c. 6.*

hibet, quarum ſignificatus communis ſenſum propoſitionibus alibi ab eo ſtabilitis contrarium parere advertitur, concludendum, non eum, ſed paullo diverſum, qui nempe ſenſum producit cum prioribus propoſitionibus conſentientem, iiſdem eſſe tribuendum.

SCH. Hæc, ſimiliaque exigit æquitas in interpretando.

307. Ad rite aſſequendam Auctoris mentem, ſeu ad ea, quæ ab illo referuntur, perfecte intelligenda quam maxime omnino requiritur 1. Ut lector ſermonis, quo Auctor in ſcribendo uſus eſt, ita gnarus ſit, ut non ſolum ſingulorum vocabulorum poteſtates intelligat, ſed etiam peculiares verborum conjungendorum rationes, quas *Idiomata*, vel *Idiotiſmos* vocant, penitus perſpiciat, eodemque prorſus modo, qui illo ſermone utentibus proprius eſt, cogitare valeat. 2. Ut norit Scriptoris ætatem, patriam, ſectam, mores, & opiniones gentis, a qua is ortus eſt, ævumque, quo vixit. 3. Ut ſcopum, finemque, quem ſibi Auctor præfixit, probe exploratum habeat. 4. Ut ante iis diſciplinis animum imbuerit, cum quibus materia libri, quem lecturus eſt, plurimum connexa eſt.

SCH. His non curatis, vix, ac ne vix quidem fieri poſſe, ut liber intelligatur, quiſque propria experientia diſcere poterit. Exempla quoque in Recitationibus adduci poterunt.

308. Cæterum ut ut quis maximam operam daturus eſt, quo per ſe ſe genuinum libri cujuſdam ſenſum aſſequatur; rectiſſime tamen aget, ſi aliorum quoque interpretationes, commentarios, & adnotationes conſulat. Id quod tanto magis præſtabit, ſi ſibi ſatis facultatis, & virium ad

interpretandum non ſuppetere obſervaverit. Præferenda autem nunquam non erit, cæteris paribus, antiqua coævorum, diſcipulorumve interpretatio interpretationi recentiorum: ſimiliter anteponenda commentatio illius, qui linguæ Auctoris exacte peritus extitit, ejus commentationi, qui tranſlatis jam codicibus uſus eſt.

309. De eorum, quæ in libris legimus, veritate judicaturi, reſpicimus vel rationes *intrinſecas*, ut in ſcientificis fieri libet, vel *extrinſecas*, ſcilicet auctoritatem Scriptoris, ut in cæteris ſcriptis accidit. Facile autem quiſque intelliget, ea, quæ quidem in regulis fidei de æſtimando auctoritatis pondere allegata ſunt, vix, ac ne vix quidem hic ſatis nobis profutura, niſi ipſum librum genuinum, non ſuppoſititium, non interpollatum, non mutilum eſſe conſtiterit: quam in rem a Criticis ſequentia præcipiuntur.

I. Si ex veteribus codicibus colligere licet librum eſſe ſuppoſititium, interpollatum, vel mutilum, talis habeatur.

II. Quem Veteres librum in dubium vocarunt, dubius videatur.

III. Si in libro idem orationis genus diverſo ſtylo effertur, liber ſuppoſititius, aut interpollatus cenſeatur, eique potius attribuatur, cujus ſtylo congruit.

IV. Si recenſeantur facta, perſonæ, nomina ipſo Scriptore recentiora, ſi commemorentur, vel tractentur controverſiæ inter recentiores demum exortæ, liber ſpurius judicetur, niſi eundem interpollatum eſſe, aut ea vocabula aliunde irrepſiſſe ex coævorum, & proxime ſequentium gravi teſtimonio colligi poſſit. (37)

310.

(37) Et doctiſſimus Mabillonius *p. 2. de Studiis Monaſt. cap.* 13. quatuor proponit canones, quibus Opera vera

310. Veritatem ex rationibus intrinsecis in libro scientifico æstimaturi unumquodque veritatis genus ad respondentes Logicæ regulas exigere debebimus. Videndum erit, num definitiones completæ, num axiomata probationis minime indiga, num propositiones satis determinatæ, num argumentationes legitimæ ? &c.

SECTIO IV.

De vero cum aliis communicando.

CAPUT I.

De modo alios docendi, & convincendi.

311. QUi alteri notitiam veritatum incognitarum verbis viva voce prolatis ingenerat, is alterum *docere* dicitur.

312. Patet proinde, docentem id curare debere, ut ab altero intelligatur; quodque adeo consequens

---

vera & authentica a falsis, supposititiisque queant discerni: nimirum I. *Si aliqua Manuscripta existimatione digna, eaque in primis, quæ magis Auctori coæva videntur, in fronte, vel etiam in calce Operis nomen ejusdem gerant.* II. *Si stylus fuerit ubique conformis alteri ceterorum Auctoris Operum, sicut & principia, ac opiniones.* III. *Si Scriptores sive synchroni, sive pene synchroni ejusmodi Opus eidem Auctori certo adscribant.* IV. *Si denique nihil gestum in Opere legatur, quod cum historia sui ævi non concordat.*

quens eſt: *Perſpicuitatis rationem ab eo haberi oportet*.

313. Hinc autem fluit. I. *Docere non poterit quis illud, cujus ipſe aut notionem non habet, aut terminos notioni exprimendæ convenientes ignorat*. Etenim quo pacto facere poterit, ut ab altero intelligatur, dum quod docendum eſt, aut ipſe non intelligit, aut ſignis convenientibus, quibus notionem, & conceptum ſuum cum altero communicet, deſtituitur.

SCH. Sane Logicam alios docturus, regulas Logicæ probe perſpectas habere, terminoſque in Logica uſitatos noſſe debet.

314. II. *Docens ſingulos terminos rite explicare, ac definire tenetur, nec fas ſibi putare audet vocabulis vagis, ac indeterminatis, quæ obſcuritatem pariunt, acquieſcere:* primum namque perſpicuitas exigit, alterum vetat.

315. III. *Ut definitiones exactius a diſcente intelligantur, eæ a docente ad ſelectiora exempla applicandæ ſunt*. Experientia quippe comprobatum tenemus, exemplis mirum quantum facultatem, & vim cognoſcendi adjuvari: quoniam itaque docens curare debet, ut, quæ proponit, a diſcente intelligantur, ſeu rite cognoſcantur, exemplis ei utendum eſt.

SCH. Hinc in Logica hac paſſim definitionibus exempla ſubjunximus. Solent id quoque agere Mathematici, dum e. g. definitionem numeri quadrati *expoſituri exemplo utuntur*: Sit, *inquiunt*, numerus 4.: is in ſe ipſum ducatur; factum 16. erit numerus quadratus numeri quaternarii.

316. IV. *Docens explicaturus propoſitionem, eam in ſuam theſim, & hypotheſim reſolvere debet, ſeu expo-*

ne-

nere tenetur, tum quid de subjecto enuntietur, tum sub qua conditione enuntietur. Neque enim alias ipsa propositio satis intelligetur.

317. V. *Docens ea, quæ asserit, demonstraturus, vel probaturus demonstrationem ipsam, vel probationem ita resolvere debet, ut singulæ præmissæ animum discentis subeant, isque legitimam formam, ac propositionum nexum clare perspiciat.* Hæc quippe requiri, ut demonstratio intelligi censeatur, liquet ex dictis de demonstratione.

318. Nemo ignorare potest plurimum ad hoc, ut dicta intelligantur, facere, si ea cum attentione excipiantur: cum itaque docens curare debeat, ut ipsius dicta intelligantur, sequitur: *Eum vi attentionem in altero excitandi pollere debere, in eo scilicet sita, ut animi sui sensa, prompte, expedite, & cum suavitate aliqua proponere norit.*

SCH. Vis attentionem in altero dicta ratione excitandi nomine doni docendi *venire solet.* (38)

319. Docens librum seu historicum, seu dogma-

(38) Hæc attentionem excitandi vis plurimum ab accurata pendet, diligentique eorum præparatione, quæ a Didascalo, sive a Doctore tradenda sint, & explicanda. Nihil proinde in Scholam afferendum, nisi diu meditatum, probeque mente perceptum; tum enim animi sui sensa & prompte, & expedite, immo aliqua cum suavitate proponet, qui docet; & auditores attente excipient, ac memoria retinebunt. Plus tironibus sæpe prodest docentis diligentia, quam præcellens, ac summa doctrina, si minus sedula sit, atque actuosa. Discipulos quod spectat eos paucis instruit Quintilianus *Instit. Orat. lib. II. cap.* 10. inquiens: „ Plura de officiis „ docentium locutus, discipulos id unum interim mo„ neo, ut Præceptores suos non minus, quam ipsa stu„ dia ament, & parentes esse, non quidem corporum, „ sed mentium credant „. Quo fit, addet Jacobus Antonius

gmaticum diſcenti explicaturus eundem finem intendit, quem lector intendere debet; nempe ut quæ in illo continentur, rite a diſcente intelligantur: ei proinde tenendæ ſunt regulæ, quæ de lectione librorum Cap. 2. Sect. præced. traditæ ſunt.

SCH. Maxime nempe cavendum docenti, ut ne plura penes tironem ſupponat, quam ſupponere licet: ut ſi tironi perſpicuum putaret, quod ſibi perſpicuum eſt.

320. NON EST DOCENTI ACQUIESCENDUM, SI DISCENS SENSA IPSIUS INTELLIGAT; ID QUOQUE EFFICERE DEBET, UT, QUÆ PROPONIT, EIDEM VERA EVADANT. Quippe docere idem eſt, ac veritates incognitas alteri ingenerare (§. 311.): itaque efficere debet, ut, quod proponit, agnoſcatur eſſe verum.

321. Dum efficimus, ut propoſitio alteri certo vera, vel falſa evadat, *eum convincere* dicimur: cui autem opera noſtra propoſitio certo vera, vel falſa evadit, *is convinci* dicitur.

SCH. Itaque Convictio *vel* active, *vel* paſſive *ſumitur*: *illa* convincentem, *hæc* convincendum *ſpectat*. *Tam de* convincente, *quam de* convincendo *præcipua quædam hic a nobis adferenda ducimus*.

322. Ad certitudinem perveniri poteſt tum demonſtratione, tum experientia, tum auctoritate (§. 179., §. 181., & §. 183.): quiſquis itaque alterum

---

tonius Baccius Ethicæ lib. V. cap. 3., oportere, diſcipulos eo eſſe in præceptorem animo, quo bene inſtitutus filius in patrem, & fere eadem ei, quæ debentur parentibus, officia præſtare, hoc eſt amorem, obedientiam, obſervantiam. Ex his cetera conſequuntur diſcipulorum officia.

terum convincere volet, vel ope demonſtrationis, vel experientiæ, vel auctoritatis id præſtare debebit.

323. AUCTORITATE ALTERUM CONVICTURUS EANDEM ITA STABILIRE TENETUR, UT IN DUBIUM VOCARI NON POSSIT. Patet exinde, quia ſecus propoſitio non poterit evadere certa, cum argumentum dubitandi de oppoſito ſit remanſurum.

SCH. Quæ requirantur, ut auctoritas adferendæ certitudini idonea, ſufficiensque agnoſcatur, alibi dictum, & demonſtratum eſt (§. 213.): *haud obſcure autem quiſque intelliget difficilius fore, ut auctoritas humana ſatis ſtabiliatur. Aliud de auctoritate divina eſt.*

324. SI EFFICIMUS, UT QUIS SENSATIONE LEGITIMA AGNOSCAT PRÆDICATUM CONVENIRE SUBJECTO, EUM EXPERIENTIA CONVINCIMUS. Hac namque ratione efficimus, ut alteri propoſitio evadat certa (§. 178.): adeoque eundem convincimus (§. 321.).

SCH. Hinc patet obſervationum, ac experimentorum uſus. Convictio per experientiam *dici quoque ſolet* convictio a poſteriori: *liquet autem porro, fieri poſſe, ut tum veritatis, tum falſitatis a poſteriori alterum convincamus.*

325. Convictio, *quæ ope demonſtrationis fit, convictio a priori* audit; poteritque proinde, quemadmodum ipſa demonſtratio, vel eſſe *oſtenſiva*, ſeu directa, vel *apogogica*, ſeu indirecta.

SCH. Quoniam leges tum demonſtrationis directæ, tum indirectæ tradidimus, non eſt, cur porro de legibus alterum a priori convincendi ſpeciatim agamus: modo ſequens propoſitio adhuc notetur.

326. QUI ALTERUM A PRIORI CONVICTURUS EST

SEN-

SENSUM PROPOSITIONIS, DE QUA CONVICTIO INSTITUENDA EST, CONVINCENDO CURATE EXPLICARE DEBET. Nam a priori alterum convicturus efficere debet, ut alteri vi demonſtrationis propoſitio certa evadat (§. 325.); conſequenter ut is legitimum nexum propoſitionis cum indubiis principiis perſpiciat: enimvero niſi convicturus ſenſum propoſitionis convincendo curate expoſuerit, hic ipſam propoſitionem ſatis non intelliget, multoque minus ejus cum indubitatis principiis nexum perſpiciet; proindeque eidem illa certa non evadet: liquet ergo ab eo, qui alterum convicturus eſt, ſenſum propoſitionis, de qua convictio eſt inſtituenda, curate exponi debere.

327. QUI A PRIORI CONVINCENDUS EST, IN DEMONSTRANDO JAM ALIQUANDIU VERSATUS ESSE DEBET. Etenim a priori is convincitur, cui vi demonſtrationis propoſitio certa evadit: hinc autem ipſe formam demonſtrationis propoſitæ rite perſpicere, animoque comprehendere debet: cum itaque ad hoc, ut oblatæ particularis cujuſdam demonſtrationis formam rite perſpiciamus, ipſo uſu, ac exercitio demonſtrandi perveniamus; planum fit, eum, qui a priori convincendus eſt, aliquandiu in demonſtrando jam verſatum eſſe debere.

328. Quoniam, qui a priori convincendus eſt, formam ipſius demonſtrationis rite perſpicere, nexumque propoſitionis cum principiis intelligere debet, clare utique porro ſequitur, convinci volentem debere attentionem ad convictionem adferre.

SCH. Attentionem turbulentis affectibus maximopere impediri manifeſtum eſt. Quod ſi proinde alterum convi-

convicturus ſcommatis, aculeatiſque dicteriis uſus fuerit, quibus animus plurimum commoveri ſolet, omnium minime ſane efficiet, ut alter convincatur.

329. Fieri poteſt, ut probabilitas alicujus propoſitionis nobis certa ſit (§. 188.): quod ſi itaque effecerimus, ut alteri quoque probabilitas certa evadat, eundem *probabilitatis convincere* dicemur.

SCH. Demonſtrandum nempe erit, aliqua requiſita ad veritatem adeſſe, unde alter de probabilitate certus reddetur.

330. Convictioni opponimus *Perſuaſionem*. Hæc active ſumpta dici poteſt *Probatio inſufficiens, cujus præmiſſæ, & principia ſatis certa, ac firma non ſunt*. Quod ſi hujuſmodi probatio inſufficiens pro ſufficiente reputatur, *Perſuaſio paſſiva* habetur, quæ adeo vocari poterit *Aſſenſus propoſitioni nondum ſufficienter probatæ præſtitus*.

331. Quod probatio inſufficiens non raro pro ſufficiente reputetur, ſeque convictum ſibi perſuadeat, cum tamen convictus non ſit, inde oritur, quia, vel ignorantur ea, quæ ad probationem ſufficientem, & convictionem requiruntur, vel ad probationem ſufficiens attentio non adfertur. Nimirum ſi ea, quæ ad probationem ſufficientem, & convictionem requiruntur, ignorantur, proniſſimum utique eſt, ut probatio inſufficiens cum ſufficiente, perſuaſio cum convictione confundatur, ſeque proinde quis convictum ſibi perſuadeat, cum tamen convictus non ſit. Similiter ſi debita attentio non adfertur, fieri poterit, ut principia probandi pro certis habeantur, quæ haberi non merentur, formaque genuina cenſeatur, quæ tamen vitioſa erit: denuo itaque eventurum eſt, ut ſe quis convictum

ſibi

ſibi perſuadeat, cum tamen convictus non ſit.

SCH. Ut proinde nos convictos falſo nobis non perſuadeamus 1. *Demonſtrationes mathematicas optime animo concipere ſtudeamus.* 2. *Ad leges definitionum, & demonſtrationum ſingula accurate examinemus.* 3. *Ad exempla eorum, qui quocunque demum vitio ex perſuaſione in errorem lapſi ſunt, etiam atque etiam reſpiciamus.*

CAPUT II.

De Modo alios refutandi, & ſe defendendi.

332. DUm demonſtramus propoſitionem eſſe falſam, quam alter pro vera habet, eum *refutamus*; ipſaque etiam propoſitio, cujus falſitatem demonſtramus, *refutari* dicitur: quod ſi inſufficienter probamus, propoſitionem alicujus falſam eſſe, eum ſaltem *impugnare* dicimur; ipſaque etiam propoſitio tali caſu ſaltem *impugnatur*.

333. Propoſitio vera non poteſt ſimul eſſe falſa (§. 151.); conſequenter nec demonſtrari falſa; quæ enim propoſitio demonſtratur eſſe falſa, falſa eſt (§. 164.): reliquum hinc fit, PROPOSITIONEM VERAM NON POSSE REFUTARI (§. præc.).

334. POTEST TAMEN PROPOSITIO VERA IMPUGNARI. Quippe ſumantur quædam propoſitiones falſæ precario; probatio indubitate inſufficiens erit, ſequeturque concluſio propoſitioni veræ oppoſita; propoſitio proinde vera tali caſu impugnabitur (§. 332.): poteſt itaque propoſitio vera impugnari.

335.

335. Refutatio demonſtratione falſitatis perficitur (§. 332.): quoniam autem demonſtratio alia directa, alia indirecta eſt, facile intelligetur fieri poſſe, ut refutatio quoque ſit directa, vel indirecta.

SCH. 1. *E. g. Directe refutabitur hæc propoſitio*: Mundus eſt ens neceſſarium, *ſi demonſtratum fuerit*, Mundum eſſe ens contingens: *indirecte autem refutabitur, ſi ex illa hæc propoſitio legitime deducta fuerit:* Mundus eſt ens ſimplex immutabile, *quæ repugnat huic veræ*: Mundus eſt ens compoſitum.

SCH. 2. *Nec dubium videri poterit, etiam* impugnationem *poſſe eſſe vel directam, vel indirectam.*

336. *Impugnatio propoſitionis, cui reſpondentem notionem impugnans pro vera habet, eam tamen aliis vocabulis exprimit, Logomachia* appellatur.

SCH. Qui e. g. pro vera habet propoſitionem hanc: Non omnis notio clara ſigillatim notas rei exhibet, *quæ notio clara ſigillatim notas exhibens a nobis diſtincta appellatur*; *impugnat autem hanc propoſitionem*: Non omnis notio clara eſt diſtincta, *ejus impugnatio logomachia eſt.*

337. LOGOMACHIA EVITATUR, SI PROPOSITIO NON ANTE IMPUGNETUR, QUAM EJUS SENSUS SATIS MANIFESTUS FUERIT FACTUS. Quod enim logomachiæ locus fiat, inde utique oritur, quod propter diverſitatem vocabulorum propoſitioni diverſus ſenſus ſubeſſe videatur: itaque patefacto ſenſu propoſitionis eadem evitatur.

338. Qui indirecte alterius propoſitionem refutat, vel impugnat, ex propoſitione, quæ pro vera habetur, falſam infert; hæcque ſolet *Conſequentia* appellari: unde indirecte refutantes, vel impugnantes propoſitionem, eandem conſequentiis

tiis refutare, vel impugnare etiam dicuntur.

SCH. Refutationes, atque impugnationes per conſequentias omnino rejicere non licet: ſunt autem, qui unam formaſſe, quod tamen ſufficere poſſet, non contenti, plures accumulant, idque alio plane fine, quam animo refutandi, dum ſcilicet id potius intendunt, ut Auctorem vel riſui exponant, vel exoſum efficiant. Dicuntur Conſequentiarii, *itemque* Fabri conſequentiarum. *Horum contentiones nemini cordato probari poſſe, ſatis quilibet facile agnoſcet. Unde qui conſequentiis alterum volet refutare ſequentia rectius ducet ſibi tenenda. 1. Ut conſequentiæ non formentur ex vocabulis nude conſideratis, ſed ex eorundem ſenſu. 2. Ut eædem formentur ex verbis intra contextum, non extra eundem ſpectatis. 3. Ut, quæ formantur conſequentiæ, ex propoſitionibus abſque verborum detorſionibus prono nexu fluant. 4. Ut conſequentia, quæ ex placitis Auctoris fluit, non ſemper ipſi Auctori imputetur.*

339. *Rationes, quibus quis utitur ad odium Auctori alicui, ejuſque placitis conflandum, Argumentum ab invidia ſumptum* appellantur.

SCH. In argumento ab invidia ſumpto, ut habet Clericus Diſſert. Theol. de Argum. Theol. ab invidia ducto, & ex eo Euſeb. Amort, 1. Sententia Auctoris male explicatur. 2. Cum hominum inviſorum dogmatis comparatur. 3. Nominibus invidioſis infamatur. 4. Studioſe celantur rationes, quibus illa nititur. 5. Tacentur commoda, quæ ex illa exſpectantur: contra incommoda, quibus premitur accumulantur. 6. Novitas pro crimine habetur. 7. Indifferentia in partem deteriorem accipiuntur. 8. Provocatio fit a judicibus peritis ad imperitos. 9. Auctor quaſi virtutum contemptor infamatur.

340.

340. Qui demonstrat se ab altero non esse refutatum, *is se se defendit* : ipsa vero *propositio defendi* dicitur, ubi demonstratur, eam ab altero non fuisse refutatam.

SCH. Qui solum insufficienter probat, propositionem ab altero non esse refutatam, is defensionem tentat, sed absque successu. Hinc differunt Defensio, & Tentamen defensionis.

341. Vi refutationis propositio demonstratur esse falsa (§. 332.); defensurus autem illam demonstrare deberet, eam non esse falsam : enimvero cum hoc fieri nequeat (§. 151.), relinquitur, *propositionem, quæ revera refutata est, defendi non posse, tametsi forte ab imperitis defensio tentari possit.*

342. Defensio recte ad has regulas exigetur :

I. Si verborum sensus pervertitur, atque exinde alia a mente Auctoris sententia impugnatur, defensio absolvitur, si verus verborum sensus demonstretur.

II. Si impugnans Auctori imputat vel principia erronea, vel argumentandi modum vitiosum, in defensione demonstrandum est, & principia esse legitima, & vitium formæ per ignorantiam regularum logicarum imputari.

III. Si impugnans ex propositionibus Auctoris consequentiam absurdam elicit, demonstrare oportet, vel eam absurdam non esse, vel ex propositionibus non fluere.

IV. Si impugnans conviciis potius, & injuriis rem agit, quam argumentis, defensione nulla opus est, nisi is apud plerosque multum valuerit; quo equidem casu, omissa defensione, tum fama Auctoris, tum ipsa veritas in discrimen adduceretur.

V. Dum adverſus eos, qui argumento ab invidia ducto uſi ſunt, defenſio ſuſcipitur, commiſeratio potius, quam ira, atque indignatio ipſis ſignificetur: pulchrius ſic Auctor vincet, veritaſque triumphabit.

CAPUT III.

De Modo diſputandi.

343. *Diſputatio* eſt *mutua propoſitionis alicujus quæ* Theſis *vocatur, impugnatio, ac defenſio.* Qui theſim impugnat, etiam *Opponens*, qui defendit, *Reſpondens*, qui vero partes reſpondentis, ſeu defendentis tuetur, *Præſes* dicitur. Omnes autem communi nomine *Diſputantes* appellantur.

344. Diſputatio vel veritatis in lucem proferendæ cauſſa, vel exercitationis gratia recte inſtituitur; quod ſi alio fine inſtituitur, vitio vix carebit. Porro ad quamvis diſputationem non immerito hæc requiruntur. 1. Sit illa certi thematis, cuilibet ex diſputantibus noti, nec per varia vagetur. 2. Sit civilis, atque inter amicos, qui nempe turbulentis affectibus vacui a conviciis, dicteriiſque quam maxime abſtineant. 3. Sit de rebus, non autem de vocibus.

345. QUI DISPUTANT, IN TERMINIS CONTRADICTORIIS VERSARI DEBENT. Patet exinde, quod unus theſim impugnare, alter eandem defendere; atque adeo quod ille affirmat, iſte negare debeat: in contradictoriis proinde verſentur, oportet.

346. Fluunt hinc ſequentia conſectaria:

I. Diſputantes ſubjecti, & prædicati eaſdem notiones habe-

habere debent; cum ad omnem contradictionem requiratur, ut de eodem ſubjecto idem prædicatum affirmetur, & negetur.

II. Opponens explicare tenetur propoſitionem, quam impugnat, ut appareat, num rectam ſubjecti notionem habeat.

III. Quam, ſiquidem aliunde non habet, ab reſpondente expoſcet.

347. Poſteaquam inter diſputantes de notionibus, & ſenſu verborum convenerit, opponens impugnationem theſeos aggrediatur; hoc eſt, propoſitionem theſi oppoſitam formet, hancque vel directe, vel indirecte conformiter ad ſtatutas regulas probare conetur; in qua quidem probatione id curabit, ut ſinguli ſyllogiſmi, quibus ipſa conſtiterit, in forma ſigillatim proponantur, quo pateat, quæ principia a reſpondente admittantur, quæve porro ſtabiliri debeant, ut propoſitio ex certis, atque admiſſis principiis probata, & evicta cenſeri queat, id quod hic requiritur.

SCH. Ex eo, quod opponens argumenta ſua in forma ſigillatim proponet, ipſi diſputationi ordo conciliabitur.

348. In diſputatione conſtare debet, num defendens, ſeu reſpondens mentem, ac ſenſum opponentis ſit aſſecutus: hinc præcipitur, ut *primum ille integrum argumentum, prout ab hoc prolatum eſt, repetat; tum vero ad idem reſpondeat.*

349. Reſpondebit autem defendens, quatenus monebit impugnantem quodnam principium concedat, ſeu verum admittat, quodnam vero in dubium vocet, ulteriorem ejus probationem expoſcens? Item an formam ſyllogiſticam juſtam agnoſcat, vel an vitium in ea notet?

350. Probe itaque diſpiciat defendens de omnibus propoſitionibus, ut, quæ debito robore gaudent, eas quidem concedat; quæ vero dubiæ erunt, eas neget, probationem earundem expetens. Quod ſi opponens propoſitionem attulerit non ſatis determinatam, vel, ut ajunt, irreſtrictam, & illimitatam, eam defendens determinet, ac reſtringat, *diſtinguendo*, docens, quo ſenſu illam concedat, quo vero neget.

SCH. 1. *Supervacaneum fuerit de ſingulis modis reſpondendi exempla hic adferre. Quotidiana in Prælectionibus ſe ſe offerunt.*

SCH. 2. *Eſt modus diſputandi per Quæſtiones, & Reſponſiones, diciturque* Erotematicus, *item* Socraticus, *de quo coram.*

FINIS LOGICÆ.

INDEX

RERUM IN TOMO PRIMO PRÆCIPUARUM.

Numerus denotat paragraphos; ubi vero invenies numerum poſt p., intellige pagellam, in qua Nota Additamenti reperitur.

Abſtrahere quid ſit. 14.

Æquipollentia propoſitionum V. Propoſitio. Ejuſdem regulæ N. (18) p. 59.

Annus Magnus Mathematicorum qui ſit. N. (36) p. 179.

Apperceptio. Definitio. N. (9) p. 19.

Apprehendere quis dicatur. 11. Apprehenſio ſine idea non habetur. 12.

Argumentatio vitioſa eſt ratione vel materiæ, vel formæ, & quomodo 241. : quando per argumentationem vitioſam ratione materiæ in errorem inducamur 242. : circa hoc improbatur quædam Tſchirnhauſii opinio ibid. Sch. : quando per argumentationem vitioſam ratione formæ in errorem inducamur 243. : quando vitio formæ argumentatio laborare cenſenda eſt. 245. 246. 247. 248. 249.

Argumentum ab invidia ſumptum quod ſit 339., & quæ in eo obſervanda. ibid. Sch.

Attributa quomodo dignoſcantur. 256.

Axioma. Definitio. 145.

Canones dignoſcendi opera vera a falſis. N. (37) p. 182.

Carteſiana dubitatio V. Dubitatio.

Certitudo propoſitionis. V. Propoſitio. Illa triplex eſt ſubjecti, objecti, & modi vel metaphyſica, vel phyſica, vel moralis. N. (25) p. 101.

Circulus vitioſus qui dicatur. N. (34) p. 155.

Cogitare quid ſit. 5.

Cognitio. Definitio. N. (9) p. 19. : ſcientifica quæ dicatur 200. : hiſtorica quæ ſit Procem. N. II., quid Philoſophiæ præſtet N. V.: mathematica quæ dicatur N. IV.; & quid hæc Philoſophiæ præſtet N. VI.: philoſophica quæ dicatur N. III., ejuſque cum cognitione hiſtorica, & mathematica diſcrimen. N. V.

Compilator qui ſit. 298.
Concluſio quæ dicatur. 104. V. Syllogiſmus.
Conſcientia late ſumpta. Definitio. N. (9) p. 19.
Conſequens, & *conſequentia* 104. Sch. V. Syllogiſmus: inter ea diſcrimen. N. (20) p. 63.
Conſequentiæ immediatæ, & quatuor earum genera. 134.
Conſequentiarii qui ſint, & *Conſequentiarum fabri* 338. Sch.
Conſequentiis refutare, vel impugnare qui dicantur 338. : quid ab his obſervandum. ibid. Sch.
Converſionum ſpecies diverſæ 99. Sch. : earum regulæ. N. (19) p 60.
Convictio activa & paſſiva quæ ſit 321. Sch. : a poſteriori quæ dicatur 324. Sch. : a priori vel oſtenſiva, vel apogogica quæ ſit 325. : convictionis perſuaſio falſa quando ſit 331. ad quæ advertendum ne id accidat. ibid. Schol.
Convincere, & *convinci* qui dicatur 321. : quomodo alter convincatur 322., ſive auctoritate 323., ſive experientia 324., ſive a priori 326. : convincendus tamen a priori qui eſſe debeat 327., & quid ipſi præſtandum 328. : convinci probabilitatis qui dicatur. 329.
Copula propoſitionis quid ſit. 81.
Corporum exiſtentia contra Mallebranchii opinionem propugnatur N. (26) p. 103., & probatur tum ex iis quæ intimo nobis ſenſu conſtant n. 1., etiam cum reluctamur n. 2., tum ex ideis exteriorum rerum menti præſentium n. 3. : nec obeſt quod his ideis nil quandoque extra reſpondeat, vel quod poſſit illas Deus ſupplere n. 4. ; primum enim eſt falſum, ſi ideæ ſunt conſtantes n. 5. ; falſum & alterum, quia corpora realiter exiſtere exigit creationis finis. n. 6.
Credere qui dicatur. 212.
Criterium falſitatis. Definitio 164. ; in quo conſtituendum, & quid in ejus uſu obſervandum. ibid.
Criterium veritatis. Definitio 162., aliud intrinſecum, aliud extrinſecum ibid., in quo conſtituatur ibid. ; in ejus uſu quid obſervandum 163. Tſchirnhauſianum quale ſit 167. Sch. 1., num debeat admitti ib. Sch. 2. ; item Carteſianum quale, & num admittendum. ibid. Sch. 3.
Defendere ſe quis dicatur 340. Defenſionis regulæ 342. Defendentis ſe leges 348. 349. 350.
Definiens quibus terminis uti debet 62. : definire nequit,

quit, qui rem distincte non novit. 61.
Definitio. Definitio 57., ejus notæ quæ sint 58., quibus ea conveniat ibid. Sch., latior & angustior quæ dicenda 59.: pro definito sumitur 60.; in ea tamen non concedendus definito locus 64.: eam vitiat circulus 65.; quibus ea indicandis destinetur 66., per quæ condatur, si ignorentur essentialia 67.; essentialis, & accidentalis quæ dicenda ibid. Sch. 2.: eam non ingrediuntur modi 68. descriptiva, propria, accidentalis quæ dicatur N. (15) p. 46., & nominalis, realis 69., hujus causſæ a quo noscendæ 71. genetica quæ dicatur 70., & N. (18.) p. 47., & quomodo formetur 261.: Definitiones quomodo eruantur a posteriori. 260.
Definitum quod dicatur. 57.
Demonstratio. Definitio 147., & 181.: a priori, & a posteriori quæ sit ibid., & N. (28) p. 112.: directa sive ostensiva, & indirecta, sive apogogica quæ sit 207., directa quomodo condatur ibid., & quomodo indirecta 208., & hujus vis in quo consistat 209.; quæ sit habenda accuratissima 211., ejus leges quæ sint Procem. N. XX.: in ea locum habent regulæ syllogismorum 204.: in eadem quando circulus committatur. 210.
Descriptio quæ dicatur. 68. Sch.
Determinationes ex essentialibus constantes quæ sint. 26.
Differentia numerica, specifica, generica quæ sit. 25.
Dilemma Definitio. 137.
Diversa quæ dicantur. 22.
Disputatio. Definitio. 343.: quæ requirat. 344.
Disputantes qui dicantur 343., in terminis contradictoriis versari debent 345.: ad quid teneantur 346., inter se quomodo procedere debent. 347.
Discens quæ præstare debeat. N. (38) p. 185.
Dividentia membra quæ sint 72., divisum adæquare debent. 76.
Divisio. Definitio 72., physica, logica quæ dicatur 73., ejus leges 77.
Divisum quid dicatur. 72.
Docens perspicuitatem colat 312., qui esse nequeat 313., quid scire teneatur 314., quid præstare debeat 315., quid exponere 316., quid resolvere 317., qua vi pollere 318.; & N. (38) p. 185., explicans librum ad quod teneatur 319., quid discenti ingenerare debeat. 320.

Docere quis dicatur. 301.
Donum docendi. 318. Sch.
Dualiſtæ qui ſint. N. (26) p. 103.
Dubitatio Carteſiana expenditur N. (33.) p. 142., & rejicitur quia inutilis, & impoſſibilis n. 1., & quia noxia n. 2.: nec obeſt, ſi dicatur nonniſi per eam tolli præjudicia omnia n. 3.; hoc enim nimis probat; cum per ea tollantur & ea, quæ non officiunt conſecutioni veritatis n. 4.: nec etiam quod nonniſi per eam poſſint vera a falſis diſcerni n. 5.; evidentia enim, quam circa quædam habet mens, ad id ſufficit n. 6.: nec tandem quod nonniſi per eam evidentia poſſit obtineri n. 7., nam evidentia ſaltem immediata abſque illa per ſe menti lucet. n. 8.
Eadem quæ dicantur. 22.
Egoiſta qui ſit. N. (26.) p. 103.
Ens. Definitio 18., ejus eſſentialia quæ ſint ibid., & ejus attributa ibid., ſive propria, ſive communia 19.; ejus determinationes quæ dicantur 23., ſive eædem, ſive diverſæ ibid., ſive ſimiles. 24.
Enthimema. Definitio 132.: quomodo dignoſcitur, num in eo deſit major, vel minor. 133.
Entia eadem attributa propria, vel communia habentia quæ dicantur 27., ejusdem generis, vel ſpeciei quæ ſint. 28.
Epiſyllogiſmus. Definitio. 141.
Epitomator qui ſit. 298.
Errare quis dicatur. 233.
Error. Definitio. 233.
Eſſentialia quomodo dignoſcantur. 256.
Etimologia quid ſit. 69. Sch.
Fallacia a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter 247. Sch. 2., a dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid 248. Sch. 2., æquivocationis 245. Sch., compoſitionis, & diviſionis 246. Sch., conſequentis 249. Sch., ignorationis elenchi 251., petitionis principii. 252. Sch.
Fides. Definitio 212. quando cæca, oculata, certa, probabilis 213., in ea, quæ ſint ſupra rationem, ſecundum rationem, contra rationem N. (31) p. 131., cui ea præſtanda ſit 217. 218., & quæ regulæ hac in re obſervandæ 224.: hiſtorica quæ dicatur. 216.
Fides, & ſcientia num poſſint de eadem propoſitione haberi quæritur 113. Sch. 1.: affirmativa ſententia propugnatur ibid., & exemplis confirmatur N. (30.) p. 129.;

p. 129.: nec obeſt, quod fides, & ſcientia ſint actus diverſi; non ſunt enim oppoſiti Sch. 2.: nec etiam quod repugnet claritatem, & obſcuritatem ſimul eſſe in mente poſſe; id enim vere dicitur tantum de obſcuritate poſitiva, non autem de negativa. ibid.
Figuræ ſyllogiſmorum. V. Syllogiſmorum figuræ.
Hiſtoria naturalis quæ ſit, itemque artificialis, civilis, eccleſiaſtica, privata, litteraria 281., naturalis partes ibid. Sch., hujus finis, & quomodo obtineatur 285.: artificialis finis, & quomodo obtineatur 286.: litterariæ finis, & quomodo obtineatur 287.: politicæ, finis, & quomodo obtineatur 288.: eccleſiaſticæ finis, & quomodo obtineatur 289.: privatæ finis, & quomodo obtineatur 290.; in hiſtoria quando ordo habeatur 284. imperfecta quæ ſit reputanda. 291.
Homonymia quid ſit. 69. Sch.
Hypotheſis philoſophica quæ dicatur Proœm. N. XXII., quomodo ea Philoſopho utendum. ibid. N. XXIII., & XXIV.
Idea. Definitio 7. V. Notio.
Idealiſtæ qui dicantur. N. (26.) p. 103.
Idem per idem exprimi quando dicatur. 63.
Idiomata, vel *idiotiſmi* qui dicantur. 307.
Ignoratio elenchi quæ ſit, & quomodo committatur 251.
Impugnare, vel *impugnari* qui dicantur. 332.
Impugnatio directa vel indirecta eſſe poteſt. 335. Sch. 2.
Individuum. Definitio. 21.
Inductio. Definitio 135., completa, incompleta ibid., quo fundamento nitatur. 136.
Intelligere quis dicatur. 46. Sch. 2.
Intimus ſenſus. Definitio. N. (9.) p. 19.
Judicare quis dicatur. 15.
Judicium. Definitio 15., ad illud quæ requirantur 16.; quando ſit affirmativum, negativum 78., ſingulare 89., univerſale 90., particulare 91., determinatum, indeterminatum 95., categoricum, hypotheticum 96., verum, aut falſum 150., conceptibile ibid.; particulare quomodo fiat univerſale 92., etiam ope ſenſuum 262.: quomodo univerſale formatur 263., & horum uſus, & neceſſitas proponitur, & firmatur N. (35.) p. 161., intuitivum quale ſit 177., quando pro certo hoc habendum 190., & quid ad ejus certitudinem requiratur 191. 192., quomodo certum cir-

circa ſenſibilia fiat 193., quomodo ejus certitudini magis conſulatur 196., ejus certitudini obeſt mentis æſtus 194., & defectus in organis ſenſoriis 195., & vitium ſubreptionis 197.: quid in eo valeat experientia 198., quomodo unum altero probabilius eſſe poſſit 227.: immediate ſingulare quod ſit 255.: quodvis verum eſt vel falſum 151.; unde dignoſcatur verum eſſe, & certum 178.: ejus veritas quæ dicatur 150., quæ logica dicitur ibid. Sch. 2., ejusque item falſitas. 150.

Lector libri notiones eo ſenſu debet accipere, quo Auctor 299. 302., in ſcriptis Auctoris, quem legit, verſatus eſſe debet 303., quo ſenſu voces ab Auctore non definitas accipere debet 304. 305. 306., Auctoris mentem quomodo aſſequi poſſit 307. 308., quibus regulis de veritate rerum in libro contentarum dijudicanda uti debet. 309. 310.

Liber hiſtoricus qui dicatur, & qui dogmaticus, quique dogmaticus hiſtoricus, & dogmaticus ſcientificus 280., hiſtoricus quando probandus 282., quando reprobandus 283., & quando probabilis cenſendus ibid., ejus legendi finis, & quomodo obtineatur 299., ejus Auctor quando jure poſſit offendi 300. V. Lector.

Logica. Definitio. 1., ejus nomina ibid. Sch. 1., eſt artificialis, vel naturalis, hæcque vel connata, vel acquiſita; utraque docens, vel utens ibid. Sch. 2., quomodo pertractanda 2.: ante ceteras diſciplinas eſt tradenda. 4.

Logomachia. Definitio 336., quomodo evitetur. 337.

Major, minor. V. Terminus, Propoſitio, Syllogiſmus.

Methodus. Definitio 294. analytica, & ſynthetica ibid., hujus leges 295., philoſophica quæ ſit Procem. N. XVIII., ejus lex ſuprema N. XXI., ſcientifica. N. XXV.

Modi figurarum V. Syllogiſmorum figuræ.

Modus. Definitio 20., quomodo dignoſcatur. 257.

Notæ rei quæ ſint. 42.

Notio. Definitio 7. deceptrix quæ ſit 32., clara 42., obſcura 43., diſtincta, confuſa 45., quæ clara eſt non iccirco diſtincta 46., diſtinctæ notionis prærogativæ 46. Sch. 2.: notio completa, incompleta 48., adæquata, inadæquata 49., ſingularis, univerſalis 50., ſimplex, complexa 54., concreta, abſtracta 56., determinata, abundans 57. Schol., vera, falſa 170.

170., & num falſa reipſa detur 171., poſſibilis, impoſſibilis 158., complexa poſſibilis 176., arbitraria determinatione formatæ quæ dicantur, & quatenus recipiendæ 267., quando hæ ſint poſſibiles, & veræ 268.270.271.272., & quando impoſſibiles, ac falſæ. 269.

Notiones diſtinctas quomodo acquirat mens 47.: eas formandi modus 258.; univerſales quomodo acquirantur 52.: notiones generum, ſpecierum differentiarum ſpecificarum, & attributorum ſunt univerſales 51., generum quomodo formentur 264., ſpeciei unius quomodo ex altera eruantur 266., modorum quando ſint univerſales 51. Sch. 2.: per ſenſus acquiſitæ immediate ſingulares ſunt 254., poſſunt tamen univerſales evadere, & quomodo. 259.

Operationes mentis quot ſint. 17. Sch. 2.

Opinio quando habeatur 225. quando locum habeat. 226.

Opponens qui dicatur. 343.

Organa ſenſoria quæ dicantur. 8.

Paralogiſmus qui dicatur. 244.

Perceptio. Definitio. N. (9) p. 19.

Perſuaſio. Definitio 330., poſitiva quæ ſit ibid., perſuaſio convictionis falſa quando habeatur. V. Convictio.

Petitio principii, ejuſque fallacia. 252.

Phantaſma quid ſit. 10.

Philoſophia. Definitio Proœm. N. I., & N. VII., & N. (1) p. 4.: ea eſt ſcientia Proœm. N. IX.: quomodo in illa procedendum N. X., illius objecta quæ N. XI., & XIII., ejus objectum materiale, formale, attributionis N. (2) p. 6., ejus partes. Proœm. N. XIII. XIV. XV. XVI.

Philoſophus quid cavere debeat Proœm. N. XXVIII., ornatus ei conveniens. ibid.

Piſtilli verſatio quid ſit. N. (34) p. 155.

Plagiarius qui ſit. 298.

Præcipitantia in judicando quomodo committatur 234., & quomodo poſſit vitari. 235.

Prædicatum quid ſit. 79.

Præjudicia infantiæ quæ ſint, & quomodo iis occurrendum 237., ſenſus quæ, & quomodo iis occurratur 238., auctoritatis quæ, & quomodo iis occurratur 239., nimiæ confidentiæ quæ, & quomodo declinentur. 240.

Præjudicium quod dicatur. 236.

Præmiſſæ in ſyllogiſmo. V. Syllogiſmus.

Præſes diſputationis qui dicatur. 343.

Principia certa quæ habeantur. Procem. N. XXI.
Probatio ſive ſimplex, ſive compoſita quæ dicatur. 142.
Propoſitio. Definitio 41., quot terminis conſtet 80., affirmativa, negativa ibid., infinitans 82. perfecta, imperfecta 83., ſimplex, compoſita 85, copulativa, disjunctiva 86., modalis 87., exponibilis 88., ſingularis 89., univerſalis, particularis, definita, indefinita 93., categorica, hypothetica 96., & hypotheticæ membrum antecedens & conſequens quod dicatur 123., & quando dicatur alterutrum poni, vel tolli 124., determinata 97., æquipollens 98., convertens, converſa 99., major, minor. V. Syllogiſmus, certa, incerta 172.; quomodo certa evadat propoſitio 179., & quæ ut certa habenda 180., quæ uni eſt certa alteri incerta eſſe poteſt 173., quando cognoſci poſſit eſſe certa 174., & quæ certæ cenſendæ ſint 175., probabilis quando ſit 230., inſufficienter probata, & improbabilis quæ dicatur 231., & quæ in earum numero referendæ 232., quæ non mereatur fidem 214., & quæ mereatur 215., affirmativa quando dicenda ſit vera, & quando falſa 152. 156., & quomodo id agnoſcatur 153. 154. 155., affirmativæ ſolum proprie convenit veritas, vel falſitas 157., vera eſt conceptibilis, & falſa inconceptibilis 167., quæ in vera affirmantur quomodo menti poſſint repræſentari 165., & quomodo eidem repræſentari poſſint, quæ in falſa affirmantur 166., demonſtrata eſt vera 168., vera nequit refutari 333., impugnari tamen poteſt 334., ejus veritatem cognoſcere quis dicendus ſit 160.: propoſitionem eſſe veram, & propoſitionis veritatem agnoſcere diverſum eſt 161., metaphyſice, phyſice, moraliter vera quæ dicatur N. (24) p. 85., quæ dicatur defendi 340., refutata defendi nequit. 341.
Propoſitiones a priori poſſe inveniri perperam negarunt nonnulli 272. Sch. 2., novæ quomodo formentur a priori ex definitionibus 273., itemque ex hypotheſibus 274.; earum univerſalitatem, vel particularitatem quid denotat 94.; probationem reſpuentes quæ ſint. 143. uſque ad 146.
Propoſitiones contradictoriæ quæ ſint 100., oppoſitæ ibid. Sch. 2., identicæ 143., non contradictoriæ ambæ veræ eſſe queunt. 250.
Propoſitionum contradictoriarum de futuro contingente libe-

libero num una ſit determinate vera, altera falſa expenditur N. (24) p. 85. Propoſitiones contradictoriæ disjunctivam continent, quæ neceſſario eſt vera ibid. n. 1. : quæſtio eſt autem de propoſitionibus non de præſenti, aut præterito, ſed tantum de futuro n. 2., & quidem contingente ſive libero, ſive naturali, non autem neceſſario n. 3.; itemque de illarum veritate, vel falſitate determinata dumtaxat n. 4. : hujuſmodi autem propoſitiones ſunt de futuro vel abſoluto, vel conditionato n. 5.: unde ſi ſunt I. de abſoluto, ſunt determinate veræ, vel falſæ vi divini decreti n. 6., a quo nequit præſcindi, niſi inutilis quæſtio ſit inſtituenda n. 7., quam quidem inſtituunt ſive ii, qui propoſitiones in hac hypotheſi ſuſpenſas volunt, ac velut hærentes veritatem inter, & falſitatem n. 8., ſive ii, qui eas ſine tali decreto adhuc determinate veras, vel falſas contendunt n. 9., præſertim cum ad propoſitiones de præſenti revocentur n. 10.: & utilis tantum fieret quæſtio, ſi in futuritionis rationem ſufficientem quæreretur n. 11. Si ſunt II. de futuro conditionato ſunt pariter determinate veræ, vel falſæ, ſive propoſitiones ſint vere conditionales n. 12., ſive vere conditionales non ſint n. 13. Huic ſolutioni nec obſunt Thomiſtæ, dum ſine decreto Dei nil futurum determinate volunt; revera enim & ipſi tale decretum dari vel non dari determinate contendunt; unde & propoſitiones futurum enuntiantes veræ ſunt, vel falſæ determinate n. 14., & quidem tempore a propoſitione importato. n. 15.

Proſyllogiſmus. Definitio. 141.

Ratiocinatio. Definitio 17. V. Diſcurſus. Quot modis illa fiat 101.; polisyllogiſtica quæ ſit. 140.

Reflectere quis dicatur. 13., & N. (10) p. 22.

Refutare, & *refutari* qui dicantur. 332.

Refutatio directa, vel indirecta eſſe poteſt. 335.

Regreſſus demonſtrativus qui dicatur. 181.

Regulæ mentem dirigendi in verum quæ ſint. 169.

Regulæ Syllogiſmorum. V. Syllogiſmus.

Requiſita ad veritatem quæ ſint. 228.

Reſpondens qui dicatur. 343.

Sceptici qui ſint 178. Sch. 2.: eorum argumenta confutantur N. (27) p. 107., ſed prius convincuntur argumento ad hominem n. 1., & quia noqueunt quædam

dam vel ipſi inficiari n. 2, & 3., unde perperam objiciunt I. Scripturas n. 4., arrogantium enim hæ tantum comprimunt ſtultitiam n. 5. II. Senſuum fallaciam n. 6.; hi enim circa corporum exiſtentiam decipere nos nequeunt n. 7. III. Ignorationem omnium, ſi omnia non cognoſcantur n. 8.; id enim abſolute eſt falſum n. 9. IV. Nullum dari veritatis criterium n. 10.; cum hoc in evidentia immediata ſit poſitum n. 11. V. Nos neſcire utrum ſemper fallamur n. 12., hoc enim divinam bonitatem, & veracitatem impetit n. 13. Proponitur tandem Scepticis argumentum inſolubile n. 14., & cereræ ipſorum inſtantiæ deſtruuntur, eo quia omnia prorſus ignorari probare nequeant. n. 15.

Scientia quæ dicatur 200. V. Fides. Quis illam acquirat. 201.

Scientifica cognitio quæ ſit 200., ea eſt certa. 201.

Scire rem quis dicatur. Procem. N. VIII., & 199.

Scripti dogmatici perfectio in quo conſiſtat 292., quando illud ſit perſpicuum, quando obſcurum 293., quando ſolidum, & ſuperficiarium 296., quando completum ſive abſolute, ſive in ſuo genere, itemque quando incompletum cenſendum. 297.

Signum. Definitio, & ejus diviſio in naturale, & arbitrarium. 29.

Similia quæ dicantur. 23.

Singulare. Definitio. 21.

Sophiſma. Definitio. 244.

Sorites. Definitio. 138.

Specierum numerus quomodo ex genere ernatur. 265.

Stylus Philoſophicus qui ſit. Procem. N. XXVI., ejus lex. (XXVII.

Subdividere quis dicatur. 75.

Subjectum quid ſit. 79.

Syllogiſmus. Definitio. 41. 102., quot propoſitionibus, & terminis conſtet 102. 103., quæ ſint in eo præmiſſæ, ſeu ſumptiones, quæ concluſio, quæ illatio 104., quod conſequens, quæ conſequentia ib. Sch., quid termini extremi, terminus medius, major, minor 105., quid tandem propoſitio major, & propoſitio minor 106.; affirmativus, negativus, univerſalis, particularis qui ſit 107., compoſitus 121., hypotheticus 122., & hujus modi duo 127., & in eo quando tollendum antecedens membrum vel ponendum 125. 126., disjunctivus 128., ejuſque modi duo

duo ibid., & quomodo ex eo formetur ſyllogiſmus ſimplex ibid. Sch., copulativus 129., crypticus 130., & ejus modi tres 131., demonſtrativus 205., & quæ in eo propoſitiones locum habeant ibid., probabilis, & quæ concluſiones ex eo deducantur. 229.

Syllogiſmi quibus regulis nitantur 108., & quibus fundamentis 109., quomodo in iis applicetur Dictum de omni, & nullo 110. 111., in iis pars debilior quæ dicatur 111. Sch. 1., expoſitorii qui dicantur. ib. Sch. 3.

Syllogiſmorum figuræ, & modi unde naſcantur 112., figuræ quot ſint 113., quæ debeat eſſe major, & minor in primæ figuræ ſyllogiſmis 115., & qualis concluſio 116. 117., figura perfecta quæ ſit 119., prima figura eſt perfecta 120., modi primæ figuræ 118.; modi ſecundæ, tertiæ, & quartæ figuræ 120. Sch. Syllogiſmorum regulæ generales & peculiares. N. (22) p. 71.

Synonimia quid ſit 69. Sch.

Terminus. Definitio 30., ejus diviſio in ſignificativum, & non ſignificativum 31. Sch., cur eo utamur 30. 33., ei ſemper conjungitur notio 31., in ejus uſu quid cavendum 34., inanis qui ſit 32., fixus, vel fixi ſignificatus, vagus, vel vagi ſignificatus, determinatus, indeterminatus 36., univocus, æquivocus, homonymus, univocus univocans, univocus univocatus, æquivocus æquivocans, æquivocus æquivocatus, analogus 36. Sch., familiaris 37., proprie ſumptus 38., improprie ſumptus 39., clarus, obſcurus 44., ſingularis, communis 53., & N. (11) p. 31., ſimplex complexus 55., & N. cit., abſtractus, concretus 56., & N. cit., major, minor V. Syllogiſmus; poſitivus, negativus, negativus voce poſitivus ſenſu, poſitivus voce negativus ſenſu, negativus voce & ſenſu, collectivus, diſtributivus, categorematicus, ſincategorematicus, mixtus, abſolutus, reſpectivus, ſeu connotativus, ſubſtantivus, adjectivus, finitus, infinitus, tranſcendentalis, categoricus. N. cit.

Terminorum receptum ſignificatum obſervare quis dicatur. 42.

Teſtes auriti, & oculati qui 219., quis horum præferendus 220., quo modo teſtis auritus teſtis oculati mentem aſſequatur 221. 222., quid requiritur, ut utrique fides habeatur. 223.

Teſti-

Teſtimonium. Definitio, & quando verum. 213.
Totum actuale, & potentiale quod dicatur. 73.
Veritas. Definitio. 155., quomodo agnoſcatur ibid., ejus criterium. V. Criterium veritatis : ab ea deficiendi periculo quis obnoxius 3., ejus inveniendæ regulæ 278., *veritates* a poſteriori quomodo eruantur 253., plures unus alio detegere valet 276., eas inveniens in uno genere non eo ipſo valet invenire in alio 277., latentes detecturo quid ſit opus. 275.
Univerſalia Porphirii quæ ſint. N. (13) p. 39.
Vocabulis, ſeu vocibus cur utamur. 30. 33.
Uſum loquendi obſervare quis dicatur. 40.

PLACENTIÆ MDCCLXVII.

IIII. NONAS MARTIAS.

EXCUDEBAT JOSEPHUS TEDESCHI,

SUPERIORUM PERMISSU.

005653990